UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii, atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam Confessionem amplectuntur

Lipsiæ, 1606

Solida, Plana, Ac Perspicva Repetitio Et Declaratio quorundam Articulorum Augustanæ confessionis, de quibus aliquandiu inter nonullos Theologos eidem addictos disputatum fuit; continens earum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

Visual Library

SOLIDA, PLANA, AC PERSPICVA REPETITIO ET DECLARATIO quorundam Articulorum Augustanæ confessionis, de quibus aliquandiu inter nonnullos Theologos eidem addictos disputatum fuit; continens earum controuersiarum, ad normam & analogiam verbi Dei & compendiariam Christianæ nostræ doctrinæ formulam & rationem, decisionem atque conciliationem.

IMMENSA DEI OPTIMI *Maximi bonitate atq; miseratione factum est: vt doctrina de præcipuis Christiana nostræ religionis articulis, quæ opinionibus & traditionibus humanis, durante Papatu, horribiliter obscurata fuerat; opera D. Lutheri, piæ sanctæq; memoriæ, rursus secundùm præscriptum & analogiam Verbi Dei sincerè explicaretur, & repurgaretur; Pontificij verò errores, abusus, & idolomania grauiter redarguerètur. Hæc pia Reformatione aduersarij noua dogmata in Ecclesiâ Dei introduci putauerunt; eâ igitur, quasi Verbo Dei prorsus repugnaret, & pias Ordinationes penitus euerteret, vehementer, falsò tamen, criminati sunt, & calumnijs propè infinitis, quæ nullo tamen vel probabili saltem colore fulcirentur, oppugnârunt. Ea verò*

illustrissimi, pietateq; religiosa præstantissimi Electores, Principes, & Ordines Imperij (qui tùm sinceram Euangelij doctrinam amplexi fuerant, & Ecclesias suas ad Verbi Dei normam piè reformauerant) in comitijs frequentissimis & celeberrimis illis Augustæ Vindelicorum, Anno post millesimum quingentesimum trigesimo habitis, sedulò curârunt, vt Confessio pia, è sacris literis collecta, conscriberetur: eamque Confessionem Imperatori Carolo V. exhibuerunt. In ea perspicuè & candidè professi sunt, quid de præcipuis articulis (ijs præsertim, qui inter ipsos & Pontificios in controuersiam venerant) in Ecclesijs Euangelicis & reformatis crederetur, & publicè doceretur. Eam Confessionem aduersarij molestè quidem grauiterq; acceperunt: sed ad hunc vsque diem neque refutare neque euertere potuerunt.

Hanc piam atque è fundamentis Verbi Dei solidissimis extructam Augustanam Confessionem nos toto pectore amplecti, publicè & solenniter etiamnum profitemur: & simplicem illius, sinceram & perspicuam sententiam, quam Verba ipsa monstrant, retinemus. Eamq; piam nostri temporis Symbolum esse, quod piæ mentes post inuictam Verbi Dei autoritatem recipere debeant, iudicamus: quemadmodum olim etiam in Ecclesia Dei, exortis grauissimis in Religionis negotio certaminibus, Confessiones & piæ quædam Symbola sunt conscripta: quæ sinceri doctores & auditores toto animo amplectebantur, & publicè profitebantur. Et quidem, bene iuuante nos gratia Dei Opt. Maximi, in illius confessionis piæ doctrina (quemadmodum ea Carolo V. Anno 1530. exhibita est) ad vltimos vsq; vitæ nostræ spiritus constantes perseuerabimus. Neque in animo habemus, hoc scripto aut quocunq; alio, à commemorata iam Confessione vel transuersum, vt aiunt, vnguè discedere: vel aliâ aut nouâ Confessionē condere.

Etsi autem pia Confessionis illius doctrina, magna ex parte (praterquam quod à Pontificijs facilitatum est) non fuit impugnata: fateri tamè oportet, nonnullos Theologos, in pracipuis quibusdã, & magni momenti, articulis, à doctrina illius Confessionis discessisse: Veramq; illius sententiam aut non assecutos esse, aut certè non constanter retinuisse, quosdam etiam ei alienam sententiã affingere conatos esse, qui nihilominus tamè Augustanã se Confessionẽ amplecti simulárunt, & ex ea quasi gloriantes de eius professione, pratextus quasierunt. Et ea autem re grauia admodum & pernitiosa in reformatis Ecclesijs dissidia sunt orta: quemadmodum olim etiam, viuis adhuc Apostolis, inter eos, qui Christiani haberi volebant, & de doctrina Christi gloriabantur, horribiles errores sunt exorti. Quidam enim per opera legis iustificationem & salutem quarebant: alij resurrectionem mortuorum negabant: alij Christum verum & aternum Deum esse, non credebant. Hi certè Apostoli sese & concionibus & scriptis seuerè opposuerunt: etsi non ignorabant, errores illos, & de rebus tantis acerrima certamina grauissimam offensionem, tam apud infideles, quàm apud infimos in fide, excitare: Perinde ac hodie nostri aduersarij Pontificij propter dissidia illa, inter nos orta, exultant: spem illam minimè piam & quidem falsam fouentes, fore vt ex nostris mutuis concertationibus, sana doctrina ruina & interitus consequantur. Infirmi verò interim valde offenduntur & perturbantur: quidam dubitant, an inter tot & tanta dissidia etiam vera apud nos doctrina reperiatur: quidam non vident, cui parti in articulis illis controversis subscribere debeant. Mota enim illa certamina, non sunt λογομαχίαι, aut de verbis inanes & non necessarias disceptationes: quales oriri solent, cùm altera pars alterius sententiam non satis assecuta est: vt quibusdam fortasse, in hoc religionis negotio, res habere videntur:

Actor. 15.
1. Cor. 15.

qui existimant, disputari tantum de paucis quibusdam vocabulis, quæ nullius penè, aut certè non magni sint momenti. Sed res grauissimæ sunt, de quibus controuertuntur, & prorsus tales, vt illius partis, quæ à vero abortat, sententia in Ecclesia Dei nec possit nec debeat ferri, nedum excusari, aut defendi.

Quare necessitas exigit, vt controuersi illi articuli è Verbo Dei & probatis scriptis perspicuè explicentur: quo omnes pij & intelligentes animaduertere possint, cuiusnam partis sententia in controuersijs illis motis, Verbo Dei & Augustanæ Confessionis orthodoxæ, conformis sit, & quæ probatis illis scriptis aduersentur: vt bonæ & piæ mentes, quibus veritas cordi est, corruptelas & errores, qui exorti sunt, effugere & vitare queant.

DE COMPENDIARIA DOCTRINÆ FORMA, FVNDAMENTO, norma atq; regula, ad quam omnia dogmata, iuxta analogiã verbi Dei, dijudicanda, & controuersiæ motæ piè declarandæ atque deciendæ sunt.

PRimò, ad solidam, diuturnam & firmam concordiam in Ecclesia Dei constituendam, necessarium omnino est, vt certa compendiaria forma & quasi typus, vnanimi consensu approbatus extet: in quo communis doctrina, quam Ecclesiæ sincerioris & reformatæ religionis profitentur, è verbo Dei collecta extet. Etenim ea in re exemplũ primitiuæ Ecclesiæ sequimur: quæ in talem vsum sua quædã certa symbola semper habuit. Cùm verò compendiaria illa

doctrinæ forma non priuatis, sed publicis scriptis nitti debeat, quæ confecta, approbata, & recepta sint earum Ecclesiarum nomine, quæ sinceram doctrinam & religionem vnanimi consensu profitentur: mentem nostram inuicem corde & ore ita declarauimus, & iam declaramus, quòd nullam nouam aut singularem confessionem fidei nostræ conscribere aut recipere in animo habeamus. Quin potiùs publica illa & communia scripta amplectimur, quæ in omnibus Ecclesijs Augustanæ Confessionis pro symbolis & communibus confessionibus semper habita sunt: priusquam dissensiones inter eos, qui Augustanam Confessionem profitentur, ortæ sunt: quæ etiam scripta publicam autoritatem obtinuerunt, quamdiu magno consensu passim in omnibus articulis sincera verbi Dei doctrina, vt eam D. Lutherus proposuit, conseruata, retenta, atque vsurpata fuit.

I. PRIMVM igitur toto pectore Prophetica & Apostolica scripta Veteris & Noui Testamenti, vt limpidissimos purissimosque Israëlis fontes, recipimus & amplectimur: & sacras literas solas, vnicam & certissimam illam regulam esse credimus, ad quam omnia dogmata exigere, & secundùm quam de omnibus tum doctrinis, tùm doctoribus iudicare oporteat.

II. Et quia iam olim sincera Christi doctrina, in genuino & sano sensu, ex sacris literis collecta, & in articulos seu capita breuissima contra hæreticorum corruptelas digesta est: amplectimur etiam tria illa Catholica, & generalia summæ autoritatis symbola: Apostolicum, videlicet, Nicenum, & Athanasij. Hæc enim agnoscimus esse breues quidem, sed easdem maximè pias, atq; in verbo Dei solidè fundatas, præclaras confessiones fidei, quibus omnes hæreses, quæ ijs temporibus Ecclesias Christi perturbârunt, perspicuè & solidè refutantur.

Deinde

Deinde, cùm postremis hisce temporibus, Deus Optimus Maximus summa clementia puritatem verbi sui è tenebris horrendis, & plusquam Cimmerijs, quibus sub Papatu oppressa fuerat, fideli opera præstantissimi viri D. Lutheri viri Dei rursus in lucem produxerit: quæ sincera doctrina non modò contra Papatum, sed etiam aduersus aliarum Sectarum corruptelas, è verbo Dei in articulos & capita Augustanæ Confessionis digesta est: etiam Augustanam, primam illam & nonmutatam, Confessionem amplectimur. Idq; non ea de causa facimus, quòd à nostris Theologis sit conscripta: sed quia è verbo Domini est desumta, & ex fundamentis sacrarum literarum solidè extructa, sicut ea Anno 1530. scripto comprehensa, & Imperatori Carolo V. per quosdam Electores, Principes, & Ordines Romani Imperij, (vt communis piè reformatarum Ecclesiarum confessio) Augustæ est exhibita. Hanc enim nostri temporis Symbolum esse iudicamus, quo reformatæ nostræ Ecclesiæ ab Romanensibus, alijsq; reiectis & damnatis sectis & hæresibus seiunguntur. Et sanè hoc ipsum olim viu in primitiua Ecclesia receptũ est, vt subsequentes Synod, pij item Episcopi & doctores, ad Nicænum Symbolum prouocarent, atq; sed amplecti, publicè profiterentur. III.

Postea cùm hoc etiam curandum esset, vt propria & genuina Confessionis Augustanæ sententia conseruaretur, atq; aduersus Pontificiorum calumnias pleniùs explicaretur, & præmuniretur, ne sub Augustanæ Confessionis prætextu & patrocinio damnati errores sese in Ecclesiam Dei paulatim insinuarent: post exhibitam confessionem luculenta Apologia conscripta, & Anno 1531. typis vulgata est. Eam etiam vnanimi consensu approbamus & amplectimur: quia in ea non modò Augustana Confessio perspicuè explicatur, atque ab aduersariorum calumnijs vindicatur, verùm etiam IIII.

clarissimis & solidissimis sacræ scripturæ testimonijs confirmatur.

V. Præterea etiam articulos illos toto pectore amplectimur, qui Smalcaldiæ, in frequentissimo Theologorum conuentu, Anno salutis 1537. conscripti, approbati & recepti sunt. Eos autem articulos intelligimus, quales initiò conscripti, posteà typis in lucem editi sunt: in eum, videlicet, finem, vt concilio, vel Mantuæ vel alibi celebrando, nomine Illustrissimorum Electorum, Principum atq; Ordinum Imperij (vt Augustanæ Confessionis vberior declaratio, in qua, per Dei gratiam constantes perseuerare decreuissent) publicè proponi posset. In ijs enim articulis doctrina Augustanæ Confessionis repetita est, & in quibusdam articulis è verbo Dei ampliùs declarata: & insuper fundamenta monstrata & graues causæ recitatæ sunt, cur à Pontificijs erroribus & Idolomanijs secessionem fecerimus: cur etiam in ijs rebus cum Pontifice Romano nobis conuenire non possit, quódq; cum eo in illis concilijs nequeamus.

VI. Postremò, quando negocium religionis etiam ad salutem vulgi & Laicorum (quos vocant) pertinet, & illis etiam, ratione salutis, necessarium est, vt sincerà doctrinā à falsa discernant: amplectimur etiam minorē & maiorē D. Lutheri Catechismos: eos dicimus, quales illi ab ipso scripti & Tomis eius inserti sunt. Omnes enim Ecclesiæ Augustanæ Confessionis hos Catechismos approbârunt atque receperunt: ita vt passim in Ecclesijs & scholis publicè, & in priuatis etiam ædibus propositi fuerint. Et pia doctrina è verbo Dei desumta, in ijs quàm maximè perspicuè & simplicissimè, in vsum rudiorum & Laicorum, est comprehensa & dilucidè declarata.

Hæc publica & ab omnibus pijs approbata scripta in purioribus Ecclesijs & scholis semper habita fuere

pro compendiaria hypotyposi, seu forma sanæ doctrinæ, quam D. Lutherus in suis scriptis è sacris literis, contra Papatum & alias sectas, depromsit, luculenter declarauit, & solidè fundauit. Et ad D. Lutheri explicationes præclaras tàm in polemicis, quàm didacticis ipsius scriptis comprehensas prouocamus: eo, videlicet, modo, quem D. Lutherus in Latina sua præfatione, Tomis operum eius præfixa, de scriptis suis, pia & necessaria admonitione, nobis ipse monstrauit. Ibi enim hoc discrimen (inter diuina & humana scripta) perspicuè posuit: solas videlicet sacras literas pro vnica regula & norma omnium dogmatum agnoscendas: ijsq; nullius omninò hominis scripta adæquanda, sed potiùs omnia subijcienda esse.

Hæc autem non ita accipi debent, quasi alia vtilia & sincera scripta (verbi gratia, commentarios in sacras literas, errorum refutationes, articulorum præcipuorum explicationes) reijcere, aut ex hominum manibus excutere velimus. Ea enim scripta (quatenus commemoratæ hypotyposi & compendiariæ sanæ doctrinæ conformia sunt) tanquam explicationes atque declarationes vtiles, retineri, & cum fructu legi possunt. Quicquid enim hactenus de compendiaria hypotyposi sanæ doctrinæ diximus, eò tantùm referendum est, vt vnanimi consensu approbatam, certamq; formam doctrinæ habeamus, quam Euangelicæ Ecclesiæ nostræ simul omnes agnoscant & amplectantur: secundùm quam, cùm è verbo Dei sit desumta, omnia alia scripta iudicare & accommodare oportet, quatenus probanda sint & recipienda.

Quòd enim commemorata scripta, videlicet, Augustanam Confessionem, Apologiam, Smalcaldicos articulos, Minorem & Maiorem Catechismos Lutheri, illa doctrinæ nostræ Christianæ summa complecti voluerimus: eam ob caussam factum est, quòd in ijs

vnani-

vnanimem & communem Ecclesiarum nostrarum piam sententiam contineri, semper sit iudicatum: quippe quæ à præcipuis ijsq; excellentissimis illius temporis Theologis subscriptione confirmata, & in Euangelicis Ecclesijs & scholis recepta fuêre. Et ea quidem (vt paulò antè monuimus) omnia conscripta atq; edita sunt, priusquam controuersiæ illæ inter Augustanæ Confessionis Theologos orirentur: ideoq; nihil in illis datum est affectibus: quare etiam ab ijs, qui inter se disceptant, reprobari nullo iure possunt. Neq; verò quisquam (modò sincerè & sine fuco Augustanam Cõfessionem amplectatur) eorum autoritatem eleuabit aut cõtemnet, sed ea (vt veritatis testes) recipiet. Quare nemo vitio nobis vertet, quòd ad eorum scriptorum declarationem & decisionem, in obortis controuersijs, prouocamus. Vt enim verbum Dei, tanquam immotam veritatem pro fundamento ponimus: ita illa scripta, tanquam veritatis testes, & quæ vnanimem sinceramq; maiorum nostrorum, qui in puriore doctrina constantes permansêre, sententiam complectantur, in medium rectè producimus.

DE ANTITHESI, SEV REIECTIONE FALSÆ DOCTRINÆ in articulis controuersis.

NEcessarium est ad conseruandam in Ecclesia sinceram doctrinam, & ad solidam, firmam, Deoq; probatam atq; gratam concordiam, vt non tantùm sana doctrina dextrè proponatur, sed etiam contradicentes diuersumq; docentes redarguantur. Fidelium enim pastorum vtrumq; officium est (vt D. Lutherus dicere solet) & ouiculas pascere, & lupum arcere: vt alienas voces vitare discant: & preciosum à vili secernere possint.

1. Tim. 3. Tit. 1. Iohan. 10. Ierem. 15.

Quare

Quare in hac etiam parte mentem nostram iuuitem declarauimus, & perspicuè declaramus: quòd, videlicet, discrimen sit habendum inter non necessarias atq; inutiles contentiones, quæ plus destruunt, quàm ædificant: ne ijs Ecclesia perturbetur: & inter necessaria certamina: quando tales controuersiæ incidunt, vbi de articulis fidei aut præcipuis partibus Christianæ doctrinæ agitur: tum enim ad veritatis defensionem, necessariò contraria & falsa doctrina est refutanda.

Etsi autem paulò antè commemorata scripta pio lectori, qui veritatis cœlestis amore flagrat, in omnibus & singulis articulis Christianæ nostræ Religionis perspicuè & dilucidè commonstrant, quidnam, iuxta verbi Dei, Propheticorum & Apostolicorum scriptorum normam verum sit, & amplectendum: & quid falsum, & reijciendum atq; fugiendum sit: tamen de præcipuis & summis articulis singulis, qui hisce temporibus in controuersiam venerunt, sententiam nostrã perspicuè & sine omni ambiguitate proponere voluimus. Idq; eo consilio, vt veritas magis elucescat, clariusq; agnoscatur, & ab erroribus faciliùs discernatur: ne quicquam, quod veritati officiat, sub nimis generalibus verbis aut phrasibus occultari possit: Tum etiam, vt publicum solidumq; testimonium, non modò ad eos, qui nunc viuunt, sed etiam ad omnem posteritatem extaret: ostendens, quænam Ecclesiarum nostrarum de controuersis articulis vnanimis fuerit, esseq; perpetuò debeat, decisio atq; sententia, videlicet:

Primò reijcimus atq; damnamus omnes hæreses & errores, qui in primitiua (rectè credentium) Ecclesia, ex solidis verbi Dei fundamentis reiecti sunt & damnati. I.

Deinde reprobamus & damnamus omnes sectas atque hæreses, quæ in scriptis paulò antè commemoratis reprobatæ sunt. II.

Præ-

Præterea, cùm intra triginta annos partim ex inter religionis, quam Interim vocant, formula, partim alijs occasionibus dissidia inter Theologos quosdam Augustanæ Confessionis orta sint, de illis omnibus & singulis fidem & confessionem nostram, non modò in thesi, verùm etiam in anthithesi (veram videlicet, & falsam contrariam doctrinam) disertè, categoricè, & perspicuè opponere & declarare voluimus. Idq; ea de causa à nobis factum est, vt solida cœlestis doctrinæ in omnibus articulis fundamenta rectiùs conspicerentur: & omnia falsa, ambigua, suspecta, & damnata dogmata (quinuscunque libris contineantur, & à quocunque tandem vel conscripta sint, vel hodie etiamnum defendantur) disertè repudientur: vt omnes, ad cauendos errores (hinc inde in quorundam Theologorum libris sparsos) fideliter præmoneantur & excitentur: ne in rebus tantis vllius hominis autoritate seducantur. Hanc nostram controuersiarum explicationem si pius lector sedulò perpenderit, eamq; cum scriptis illis aliquoties commemoratis contulerit: liquidò intelliget, ea, quæ de vnoquoq; articulo (in compendiaria illa doctrina nostræ religionis & fidei) initiò maiores nostri senserunt atque publicè professi sunt, easq; declarationes, quæ diuersis temporibus, per interualla, sunt consecutæ, & eam doctrinam, quam nunc hoc scripto repetimus, haudquaquam inter se discrepare, sed esse simplicem, immotam, ac certissimam veritatem. Et agnoscet lector candidus, nos non de vno dogmate ad aliud (leuitate quadam, vt aduersarij nos criminantur) transilire: sed potiùs nos in eo elaborare, vt semel exhibitam illam Augustanam Confessionem, eiusq; vnanimem, piam, & veram sententiam firmiter retineamus, atq; in ea doctrina per gratiam Dei (aduersus omnes, quæ inciderunt, corruptelas) constantes perseueremus.

DE

I.
DE PECCATO ORIGINIS.

ORTA est inter nonnullos Augustanæ Confessionis Theologos controuersia de peccato Originali, quidam hoc propriè & reuerà sit. Vna enim pars contendit (cùm per lapsum Adæ, humana natura & essentia totaliter corrupta sit) quòd nunc post lapsum hominis corrupta natura, substantia & essentia, aut certè præcipua & præstantissima pars ipsius essentiæ (anima, videlicet, rationalis in sumo suo gradu, aut præcipuis potentijs) sit ipsum peccatũ Originale, quod ideo vocetur peccatũ Naturæ, vel personæ, quòd non sit cogitatio, verbum, aut opus quoddam, sed ipsissima Natura: è qua, tanquam ex radice, omnia alia peccata oriantur: eamq; ob causam affirmârunt, iam post lapsum, (quandoquidem natura per peccatum corrupta est) nullum planè discrimen esse, inter hominis Naturam, substantiam, seu essentiam, & inter peccatum Originis.

Altera verò pars contrarium asseruit: Peccatum, videlicet, originale non esse ipsam hominis naturam, substantiam, aut essentiam, hoc est, ipsius hominis corpus & animam: (quæ hodie in nobis, etiã post lapsum, sunt manentq; Dei opus & creatura) sed malum illud originis esse aliquid IN ipsa hominis natura, corpore, anima, omnibusq; viribus humanis: horrendam, videlicet, profundam, intimam atque verbis inexplicabilem humanæ naturæ corruptionem, ita, vt homo originali iustitia, cum qua initiò creatus erat, penitùs spoliatus careat, atq; (in rebus spiritualibus) ad bonum prorsus sit mortuus: ad omne verò malum totus

planè sit conuersus, & vt propter hanc Naturæ corruptionem & insitum ac innatum peccatum (quod in ipsa natura infixum hæret) è corde humano omnis generis actualia peccata promanent. Discrimen itaq; retinendum esse affirmârunt, inter corrupti hominis naturam & essentiam, seu animam & corpus hominis, quæ in nobis etiam post lapsum sunt Dei opus & creatura: & inter peccatum originale, quod est Diaboli opus, per quod Natura est deprauata.

Hæc disceptatio de peccato originis non est certamen quoddam non necessarium, sed maximi momenti. Cùm enim hæc doctrina iuxta verbi Dei analogiam rectè ac sincerè proponitur, & ab omnibus cùm Pelagianis, tùm Manichæis erroribus separatur, tunc (vt Apologia habet) beneficia Christi, & satisfactio, seu pretiosissimum ipsius meritum, atq; operationes Spiritus sancti gratuitæ rectiùs agnoscuntur, & magis celebrantur, ac insuper Deo gloria sua tribuitur, quando opus Dei & creatura, in homine, à Diaboli opere (per quod natura corrupta est) rectè discernitur. Vt igitur hæc controuersia piè, secundùm verbi Dei analogiam, explicetur, & sincera doctrina de peccato Originis conseruetur, ex illis, quorum suprà mentionem fecimus, scriptis, Thesin & Antithesin, id est, sinceram doctrinam, & falsam huic contrariam, in certa, eaq; breuia capita colligemus.

I. Et primùm quidem constat, Christianos non tantùm actualia delicta & transgressiones mandatorum Dei, peccata esse, agnoscere & definire debere: sed etiam, horrendum atq; abominabilem illum hæreditarium morbum, per quem tota natura corrupta est, inprimis pro horribili peccato, & quidem pro principio & capite omnium peccatorum (è quo reliquæ transgressiones, tanquam è radice nascantur, & quasi è scaturigine promanent) omnino habendum esse. Et hoc ma-

tum aliquando D. Lutherus Peccatum naturæ, item Peccatum Personæ appellare solet: vt significet, etsi homo prorsus nihil mali cogitaret, loqueretur, aut ageret (quod sanè post primorum nostrorum parentum lapsum, in hac vita, humanæ naturæ est impossibile:) tamen nihilominus hominis Naturam & Personam esse Peccatricem, hoc est, Peccato Originali (quasi lepra quadam spirituali) prorsus & totaliter in intimis etiam visceribus, & cordis recessibus profundissimis totam esse, coram Deo, infectam, venenatam & penitùs corruptam, & propter hanc corruptionem, atque primorum nostrorum parentum lapsum natura aut persona hominis lege Dei accusatur & condemnatur; ita, vt natura filij iræ, mortis & damnationis mancipia simus, nisi beneficio meriti Christi ab his malis liberemur & seruemur.

II. Deinde etiam hoc extra controuersiam est positum (vt decimus nonus articulus Confessionis Augustanæ habet) quòd Deus non sit causa, creator vel autor peccati: sed quòd instinctu, opera & machinationibus Satanæ per vnum hominem peccatum (quod est Diaboli opus) in mundum intrauerit. Et hodie, etiam in hac naturæ corruptione, Deus non creat aut facit in nobis peccatum: sed vnà cum natura, quam Deus etiamnum in hominibus creat, & efficit, peccatum originale per carnalem conceptionem & natiuitatem à patre & matre (ex semine per peccatum corrupto) propagatur.

Rom. 5.
1. Iohan. 3.

III. Præterea, quid & quantum sit hoc ingens hæreditarium malum, id nulla humana ratio indagare, aut agnoscere potest: sed vt Smalcaldici articuli loquuntur, ex scripturæ sacræ patefactione discendum & credendum est, id quod in Apologia breuiter his præcipuis capitibus comprehenditur.

I. Primò: quòd hoc hæreditarium malũ sit culpa seu

reatus, quo fit, vt omnes, propter inobedientiam Adæ & Heuæ, in odio apud Deum, & natura filij iræ simus, vt Apostolus testatur.

Rom. 5.

II. Deinde, quòd sit per omnia totalis carentia, defectus seu priuatio concretæ in Paradiso iustitiæ originalis, seu imaginis Dei, ad quam homo initiò, in veritate, sanctitate, atque iustitia creatus fuerat: & quòd simul etiam sit impotentia & ineptitudo, ἀδυναμία, & stupiditas, qua homo ad omnia diuina seu spiritualia sit prorsus ineptus. Verba Apologiæ latinè sic habent: Descriptio peccati originalis detrahit naturæ non renouatæ, & dona, & vim seu facultatem & actus inchoandi, & efficiendi spiritualia.

III. Præterea, quòd peccatum Originale in humana natura non tantummodò sit eiusmodi totalis carentia seu defectus omnium bonorum in rebus spiritualibus ad Deum pertinentibus: sed quòd sit etiam, loco imaginis Dei amissæ in homine, intima, pessima, profundissima, (instar cuiusdam abyssi) inscrutabilis & ineffabilis corruptio totius naturæ, & omnium virium, in primis verò superiorum & principalium animæ facultatem, in mente, intellectu, corde, & voluntate. Itaque iam post lapsum homo hæreditario à parentibus accipit congenitam prauam vim, internam immunditiem cordis, prauas concupiscentias, & prauas inclinationes: ita, vt omnes naturâ, talia corda, tales sensus & cogitationes ab Adamo, hæreditaria & naturali propagatione consequamur, quæ secundùm summas suas vires, & iuxta lumen rationis, naturaliter è diametro cum Deo & summis ipsius mandatis pugnent, atque inimicitia sint aduersus Deum, præsertim quantum ad res diuinas & spirituales attinet. In alijs enim externis & huius mundi rebus, quæ rationi subiectæ sunt, relictum est homini adhuc aliquid intellectus, virium & facultatum: etsi hæ etiam miseræ reliquiæ valde sunt

debi-

debiles: & quidem hæc ipsa quantulacunq;, per morbum illum hæreditarium veneno infecta sunt atque contaminata, vt coram Deo nullius momenti sint.

IIII. Pœnæ verò peccati Originalis, quas Deus filijs Adę, ratione huius peccati, imposuit, hæ sunt: mors, æterna damnatio, & præter has, aliæ corporales, spirituales, temporales atque æternæ ærumnæ & miseriæ: tyrannis & dominium Satanæ, quòd videlicet humana natura regno Diaboli subiecta est, cui in miserrimam seruitutem tradita, captiua ab eo tenetur. Is certè multos magnos & sapientes homines in mundo horribilibus erroribus ac hæresibus & cæcitate multipliciter fascinat & seducit, ac miseros mortales sæpè in varia & atrocia scelera præcipitat.

Hoc hæreditarium malum tantum, tamq; horrendum est, vt nullo alio modo, nisi propter solum Christum (in hominibus baptizatis & credentibus) coram Deo contegi, & condonari possit. Et quidem humana natura, quæ hoc malo peruersa, & tota corrupta est, aliter sanari non potest, nisi vt per Spiritum sanctum regeneretur & renouetur. Idque opus Spiritus sancti in hac vita tantummodò in nobis inchoatur: in altera demum vita absoluetur & perficietur.

V. Hæc capita de peccato originis, quæ hoc loco summariè tantùm recitauimus, in commemoratis scriptis, quæ confessionem Christianæ nostræ doctrinæ complectuntur, copiosiùs explicantur.

Hæc verò doctrina sic asserenda, conseruanda, atque munienda est, vt in neutram partem, hoc est, neque ad Pelagianos neque ad Manichæos errores, declinet. Itaque (quanta fieri potest breuitate) etiam contraria de hoc articulo doctrina, quæ ab Ecclesijs nostris reprobatur & reijcitur, est recitanda.

Repudiantur igitur & reijciuntur veterum & recen-

tiorum Pelagianorum falsæ opiniones & dogmata vana: quòd peccatum originale sit tantùm reatus aut culpa, quæ ex aliena transgressione (absque vlla naturæ nostræ corruptione) sit contracta.

II. Quòd prauæ concupiscentiæ non sint peccatum, sed conditiones quædam, aut concreatæ essentiales naturæ proprietates.

III. Quòd defectus ille, & malum hæreditarium non sit propriè & verè coram Deo tale peccatum, propter quod homo filius iræ & damnationis habeatur: cuius ratione sub tyrannide & regno Satanæ ei sit pereundum, nisi Christo inseratur, & per eum liberetur.

IIII. Reprobantur etiam, & reijciuntur hi & similes Pelagiani errores: vt, Quòd natura etiam post lapsum, incorrupta, & quidem præcipuè, quò ad res spirituales, tota adhuc bona ac pura sit, & in suis naturalibus, hoc est, in potentijs & viribus suis naturalibus perfecta & integra sit. Aut, quòd peccatum originis tantùm sit externus quidam, nullius propè momenti, nævus, aut aspersa macula: aut corruptio tantùm accidentium & qualitatum: cum qua & sub qua nihilominus natura suam bonitatem & vires, etiam in rebus spiritualibus, habeat & retineat. Vel, quòd Originale peccatum non sit defectus, spoliatio aut priuatio, sed tantummodò externum quoddam impedimentum spiritualium bonarum virium, perinde ac si magnes alio succo illinitur, vbi non tollitur vis ipsius naturalis, sed tantummodò impeditur: Vel, quòd macula illa, tanquam macula à facie, aut color à pariete, facilè abstergi possit.

V.

VI.

VII. Repudiantur similiter & reijciuntur etiam ij, qui docent: naturam, ex lapsu humani generis, valde quidem debilitatam atque corruptam esse, non tamen prorsus omnem bonitatem (quò ad res diuinas & spirituales) amisisse. Et falsum esse contendunt, quòd

Eccle-

Ecclesiæ nostræ canunt: Per lapsum Adæ penitùs humanam naturam & essentiam corruptam esse. Aiunt enim, hominem ex naturali natiuitate adhuc aliquid boni, quantulumcunq; etiam, & quàm minutulum, exiguum atq; tenue id sit, reliquum habere: capacitatem videlicet, aptitudinem, habilitatem, potentiam, & vires aliquas, in rebus spiritualibus aliquid inchoandi, operandi, aut cooperandi. Quòd verò ad externa, temporalia, & ad hunc mundum pertinentia negotia, quæ rationi subiecta sunt, attinet; de his in sequentibus articulis dicetur.

Hæc atque huius generis veritati contraria dogmata eam ob causam reprehenduntur & reijciuntur: quia verbo Domini docemur, quòd corrupta natura ex se, & suis viribus, in rebus spiritualibus & diuinis, nihil boni, & ne minimum quidem, vtpote, vllas bonas cogitationes habeat. Neq; id modò: sed insuper etiam asserunt, quòd natura corrupta ex se, & viribus suis coram Deo nihil aliud, nisi peccare possit.

Vera autem hæc doctrina etiam ab altera parte contra Manichæorum errores probè munienda est. Quare hæc & similia alia falsa dogmata reijciuntur, vt: Quòd initiò quidem humana natura bona & pura à Deo creata sit: verùm iam post lapsum, extrinsecus peccatum originale (tanquam quiddã essentiale) per Satanam in naturam infusum, & cum ea permixtum sit, quemadmodum venenum vino admiscetur.

Etsi enim in Adamo & Heua, natura initiò pura, bona & sancta creata est; tamen per lapsum peccatum non eo modo ipsorum naturam inuasit, (vt Manichæi furenter dixerunt) quasi Satan aliquod malum substantiale creâsset aut formâsset, & illud cum natura ipsorum commiscuisset. Quin potiùs cùm seductione Satanæ, per lapsum, iusto Dei iudicio (in pœnam hominum) iustitia concreata seu originalis amissa esset:

defectu illo, priuatione, seu spoliatione, & vulneratione (quorum malorum Satan causa est) humana natura, eo modo, quo suprà diximus, peruersa & corrupta est: vt iam natura, vnà cum illo defectu & corruptione, ad omnes homines, qui naturali modo à parentibus concipiuntur & nascuntur, hæreditariò propagetur. Post lapsum enim iam humana natura non pura & bona primùm creatur, & deinde demum per originis peccatum corrumpitur: sed in primo conceptionis nostræ momento, ipsum semen, ex quo homo formatur, peccato iam contaminatum & corruptum est. Et hoc originale peccatum non est quiddam, in natura vel extra naturam corrupti hominis per se subsistens: sed neque est hominis corrupti propria essentia, corpus aut anima, aut homo ipse. Neque etiam originale peccatum eo modo à corrupta per illud natura est discernendum, quasi ipsa natura coram Deo pura, bona, sancta, & incorrupta extaret: & tantùm inhabitans in illa peccatum originis esset malum.

Neque ea sententia, quam Augustinus Manichæis tribuit, vlla ratione probari potest: quòd nimirum non homo ipse corruptus (ratione innati peccati originalis) peccet: sed aliud quiddam & alienum in homine: & quòd Deus per legem nõ ipsam Naturam (quatenus peccato corrupta est) sed tantùm peccatum originale (quod sit in Natura) accuset atque damnet. Tota enim hominis Natura (vt suprà in thesi seu assertione sinceræ doctrinæ de peccato originali diximus) qualis naturali modo à parentibus generatur, corpore & anima, in omnibus viribus prorsus, tota extremè est per peccatum originis corrupta & peruersa, quò ad bonitatem suam, veritatem, sanctitatem, & iustitiam: quæ dotes in Paradiso Naturæ erant concreatæ. Non tamen penitùs deleta, abolita, aut in aliam substantiam, genere aut specie diuersam, id est, quæ secundùm

suam essentiam non sit similis nostræ naturæ, atque ita nobiscum non vnius essentiæ sit, transmutata est.

Et quidem propter hanc corruptionem tota hominis corrupta natura per legem accusatur & cōdemnatur; nisi peccatum propter Christum remittatur.

Lex autem naturam nostram non eam ob causam accusat & damnat, quòd homines simus, à Deo creati: sed ea de causa, quòd peccatores & mali simus. Neq; eatenus lex naturam accusat & damnat, quatenus, etiā post lapsum, ea in nobis est opus & creatura Dei, sed propterea & eatenus, quòd per peccatum infecta & corrupta est.

Etsi verò peccatum originale totam hominis Naturam, vt spirituale quoddam venenum & horribilis lepra (quemadmodum D. Lutherus loquitur) infecit & corrupit: ita quidem, vt iam in nostra Natura corrupta ad oculum nō mōstrari possint distinctè hæc duo, ipsa natura sola, & originale peccatum solum: tamen non vnum & idem est, corrupta natura, seu substantia corrupti hominis, corpus & anima, aut homo ipse à Deo creatus: in quo originale peccatum habitat, (cuius ratione natura, substantia, totus deniq; homo corruptus est:) & IPSVM originale peccatum, quod in hominis natura aut essentia habitat, eamque corrumpit. Quemadmodum etiam in lepra corporali ipsum corpus leprosum, & lepra ipsa in corpore non sunt vnum & idem: si propriè & distinctè ea de re disserere velimus. Discrimen igitur retinendum est, inter Naturam nostram, qualis à Deo creata est, hodieque conseruatur: in qua peccatum originale habitat: & inter ipsum peccatum originis, quod in Natura habitat. Hæc enim duo secundùm S. scripturæ regulam distinctè considerari, doceri, & credi debent, & possunt.

Et quidē ad retinendum hoc discrimen mouemur,

vrgemur atque cogimur præcipuis articulis Christianæ fidei nostræ. IN PRIMO enim articulo de creatione docet sacra scriptura: Deum non modo ante lapsum humanam naturam creâsse: Verùm etiam eandem, post lapsum, esse Dei opus & creaturam.

Deut. 32. *Isa.* 45. 54. 64. *Actor.* 17. *Iob.* 10. *Apoc.* 4.

Manus tuæ (inquit Iob) fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu: & sic repentè præcipitas me? Memento, quæso, quòd sicut lutum fecisti me, & in puluerem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulâsti? Pelle & carnibus vestijsti me, ossibus & neruis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum.

Psal. 139.

Confiteor tibi (inquit Dauid) quòd mirabiliter formatus sum: mirabilia sunt opera tua, & anima mea cognoscit abundè. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea (id est, formatio mei, seu cùm formarer) in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes dies mei scripti sunt, qui adhuc futuri sunt, & nullus adhuc ex eis esset.

Eccles. 12.

Et Ecclesiastæ Salomonis scriptum est, Reuertetur puluis in terram suam, vnde erat: & spiritus redibit ad eum, qui dedit illum.

Hæc scripturæ dicta luculenter testãtur, quòd Deus etiam post lapsum nihilominus sit hominis CREATOR: qui ipsius corpus & animam creet. Itaq; verum esse nõ potest, quòd corruptus homo, sine omni discrimine, sit ipsum peccatum: aliâs consequeretur, Deum esse peccati creatorem, sicut etiam minor noster Catechismus in explicatione primi articuli, testatur, vbi ita scriptum est: Credo, quod Deus me creauerit, sicut & omnes alias creaturas: quodq; mihi animam & corpus, oculos, aures, & omnia membra, rationem & sensus omnes largitus sit, & adhuc conseruet. Et

in Ma-

in Maiore Catechismo hæc verba extant: Hoc sentio & credo: me esse Dei Creaturam: hoc est, mihi ab ipso donata esse, & semper conseruari corpus meum, animam, vitam, membra, tàm minima, quàm maxima, omnes sensus, totamq; meam rationem & intellectum, &c. Etiamsi negari non possit, quòd ista creatura & opus Dei per peccatum horribiliter sint corrupta. Massa enim illa, ex qua hodie Deus hominem format & fingit, in Adamo corrupta & peruersa est: & ita hæreditario modo in nos propagatur.

Et hoc loco omnes piæ mētes ineffabilem Dei bonitatem meritò agnoscere debent: quòd videlicet hanc penitùs corruptam, peruersam, & peccato contaminatam massam Deus non statim à facie sua in æternum gehennæ incendium abijcit: sed quòd ex ea, quantumuis peccato horribiliter corrupta, format atq; fingit humanam naturam, quam hodie circumferimus, vt per vnigenitum dilectum Filium suum à peccato eam emundet, sanctificet, atq; saluam faciat.

Quare ex hoc primo fidei nostræ articulo clarissimè elucet discrimen, Originale enim peccatum non est à Deo: neque Deus est creator vel autor peccati. Nec originale peccatum est opus aut creatura Dei: sed est opus Diaboli.

Quòd si prorsus nulla differentia esset inter Naturam seu substantiam corporis atq; animæ nostræ: quæ per peccatum originis corrupta sunt: & inter ipsum peccatum originale, quod Naturam corrumpit: sequeretur alterutrum, videlicet, aut Deum (quippe huius naturæ nostræ creatorem) etiam ipsum peccatum originis creare & formare: id enim, hac ratione, ipsius opus & creatura esset: Aut certè conficeretur (cùm peccatum sit opus Diaboli) ipsum Satanam huius nostræ naturæ, corporis atq; animæ, creatorē, atq; ita naturam nostram, opus & creaturā Diaboli esse: si absq;

omni discrimine nostra corrupta natura ipsum peccatum esset. Vtrunq; autem absurdum primo fidei nostræ Christianæ articulo repugnat. Quapropter, vt opus & creatura Dei in homine, ab opere Diaboli discerni queat: asserimus, quòd homo corpus & animam habet, id habere eum beneficio creationis diuinæ: & quidem id ipsum Dei esse opus, quòd homo aliquid cogitare, loqui, agere, operari potest. In ipso enim viuimus, mouemur & sumus, inquit Apostolus. Quòd verò Natura hominis corrupta est, quòd cogitationes, verba & facta eius praua sunt: hoc originaliter & principaliter est opus Satanæ: qui per peccatum opus Dei in Adamo miserabiliter corrupit: quæ naturæ depraua-tio inde in nos hæreditariò deriuata est.

Actor. 17.

In secvndo fidei nostræ articulo, de redemtione, sacræ literæ luculenter testantur, quòd filius Dei humanam nostram naturam (sine peccato tamen) assumserit: ita quidem, vt nobis, fratribus suis per omnia similis fieret: peccato excepto, vt Apostolus docet. Vnde omnes veteres orthodoxi dixerunt, Christum secundùm assumtam humanam naturam nobis, fratribus suis, consubstantialem esse. Quia naturam, quæ (excepto peccato) eiusdem generis, speciei & substantiæ cum nostra est, assumsit. Et contrariam sententiam vt hæresin manifestè damnârunt.

Hebr. 2.

Iam si nullum esset discrimen inter hominis corrupti naturam seu substantiam, & inter peccatum originis, horum alterutrum consequeretur: aut Christum naturam nostram non assumsisse: quandoquidem certum est, quòd peccatum non assumserit: aut Christum assumsisse etiam peccatum, cùm naturam nostram assumserit. Horum vtrunq; sacræ scripturæ repugnat. Cùm igitur filius Dei naturam nostram humanam, non autem peccatũ originale, assumserit, manifestum est, quòd humana natura, etiam post lapsum,

& peccatum originis, non sint vnum & idem: sed quòd diligenter sint discernenda.

IN TERTIO articulo fidei nostræ Christianæ de sanctificatione testatur sacra scriptura, quòd Deus hominem à peccato abluat, emundet, sanctificet: &, quòd Christus populum suum saluum faciat à peccatis eorum. Ergo peccatum originis non potest esse ipsemet homo. Deus enim hominem propter Christum in gratiam recipit: peccatum autem in omnem æternitatem odit. Quare impium est, & auditu horrendum, quòd peccatum originale in nomine sacrosanctæ Trinitatis baptizetur, sanctificetur, & saluetur: & si quæ sunt alia huius farinæ prorsus paradoxa, quæ in scriptis recentiorum Manichæorum leguntur. Ea recitare nolumus, ne pias mentes offendamus. *Matth. 1.*

QVARTO: In articulo de resurrectione scriptura perspicuè docet, quòd huius nostræ carnis, quam circumferimus, substantia (sed tamen à peccato mundata) sit resurrectura: & quòd in vita æterna eam ipsam animam (sed peccato non contaminatam) habituri, & retenturi simus.

Iam si nulla prorsus esset differentia, inter corpus & animam nostram corruptam, & inter peccatum originale, rursus duo absurda, quæ cum hoc articulo è diametro pugnant, consequerentur. Aut, videlicet, hanc carnem in die nouissimo non resurrecturam; & nos in altero illo seculo, non has corporis & animæ nostræ substantias, sed aliam substantiam, siue aliam animam habituros: cùm constet, nos tum ab omni peccato fore mundos. Aut, quòd etiam peccatum in nouissimo die resurrecturum, & in vita illa æterna, in electis futurum & mansurum sit.

Ex his omnibus luce meridiana clarius est, hanc Manichæorum doctrinam, & omnes opiniones, quæ ex ea dependent & consequuntur, reijci oportere:

cùm,

cùm, videlicet, asseritur, quòd peccatum originale sit hominis corrupti natura, substantia, essentia, corpus & anima ipsa, adeò vt nullum prorsus sit discrimen, inter corruptam nostram naturam, substantiam & essentiam, & inter peccatum originis. Præcipui enim articuli fidei nostræ Christianæ magnas grauissimasq; causas adferunt, quare differentia inter naturam seu substantiam hominis (per peccatum corrupti) & inter ipsum peccatum, (quo homo corruptus est) constituenda & retinenda sit. Et hæc sufficere existimamus ad simplicem declarationem doctrinæ sinceræ, & falsæ contrariæ (in thesi & antithesi) de hac controuersia: quantum ad principalem ipsius statum attinet: hoc quidem loco, vbi non copiosè & argutè disputatur, sed certis quibusdam articulis tantùm præcipua capita tractanda sunt.

Quod verò ad vocabula & Phrases attinet, vtilissimum est & tutissimum, vt forma sanorum verborum (quibus in hoc articulo explicando sacræ literæ & suprà commemorata scripta publica & recepta vtuntur) vsurpetur & retineatur.

Sed & æquiuocationes vocabulorum ad cauendas λογομαχίας, diligenter & disertè sunt explicandæ. Verbi gratia: cùm dicitur: Deus creat hominum naturam: per vocabulum (Naturæ) intelligitur ipsa substantia, corpus & anima hominis. Sæpe autem proprietas aut conditio alicuius rei (tam in bonam, quàm in malam partem) vocatur eius rei natura, vt cùm dicitur: Serpentis natura est icere & veneno inficere (ibi exprimitur non serpentis substantia, sed malitia.) In hac sententia D. Lutherus vtitur vocabulo Naturæ, cùm dicit, peccatum, & peccare esse corrupti hominis naturam.

Sic igitur peccatum originale propriè significat profundissimam illam naturæ nostræ corruptionem:

quemad-

quemadmodum ea in articulis Smalcaldicis describi-
tur. Interdum etiam concretum seu subiectum, hoc
est, hominem ipsum, cum corpore & anima, in quo
peccatum est, & infixum hæret, simul complectimur:
idq; eam ob causam, quòd totus homo peccato cor-
ruptus, veneno infectus, & fœdidissima lue originalis
peccati contaminatus sit. In hanc sententiam loqui-
tur D. Lutherus, cùm inquit: Tua natiuitas, tua natu-
ra, tota tua substantia est peccatum, hoc est, peccatrix,
seu peccato polluta & impurissima.

Et cùm Lutherus vtitur hisce vocabulis: Peccatum
naturæ, peccatum personæ, peccatum substantiale
aut essentiale: satis ipse mentem suam declarat, quòd
hoc velit: non tantùm hominis sermones, cogitatio-
nes, & opera esse peccata: sed totam hominis natu-
ram, personam & substantiam hominis per originale
peccatum prorsus & omninò esse deprauata & totali-
ter corrupta.

Quod verò ad Latina vocabula, Substantiæ & Ac-
cidentis attinet, in publicis concionibus coram sim-
plice plebe (quæ horum vocabulorum significatio-
nem & vim non tenet) ab ijs abstinendum censemus:
vt ea in re piæ & sanctæ simplicitatis Ecclesiæ ratio ha-
beatur. Cùm autem viri docti, vel inter se, vel cum alijs
(quibus hæc vocabula non sunt ignota) disserentes,
ijs in hoc negocio vtuntur, tùm immediatam hanc di-
uisionem ponunt: quòd omne, quidquid est, aut sub-
stantia sit, aut accidens, quod non per se subsistit, sed
in aliqua substantia est, & ab ea discerni potest. Et se-
quuntur ea in re viri eruditi exemplum Eusebij, Am-
brosij, inprimis Augustini, Cyrilli, Basilij aliorumq;
præcipuorum Ecclesiæ doctorum: qui cogente necessi-
tate, in explicatione articuli de peccato originis, his-
ce vocabulis in genuina sua sententia contra hæreti-
cos sunt vsi.

Et

Et cùm sit indubitatum certissimumq; axioma in re Theologica, quòd omnis substantia (quatenus est substantia) aut sit Deus ipse, aut opus & creatura Dei: Augustinus in multis suis scriptis contra Manichæos (quemadmodum & reliqui sinceri Ecclesiæ doctores) rem diligentissimè expendit: & propositionem hanc (peccatum originis est substantia vel natura) magno zelo reiecit atq; damnauit. Et post eum etiam omnes eruditi & intelligentes semper senserunt, quicquid non per se subsistit, nec est pars alterius per se subsistentis essentiæ, sed in alio est mutabiliter, id substantiam non esse, id est, quiddam per se subsistens, sed accidens, quod aliunde accidit. Et Augustinus constanter in hanc sententiam loqui solet: peccatum originale non est ipsa natura, sed accidens vitium in natura. Et hoc ipso modo etiam nostro seculo in scholis & Ecclesijs nostris (iuxta regulas Dialecticæ) ante motam hanc controuersiam liberè, & sine vlla hæreseos suspicione locuti sunt viri docti, neq; eam ob causam vel à D. Luthero, vel ab vllo alio sincero doctore Euangelicarum Ecclesiarum vnquam sunt reprehensi.

Cùm igitur hæc sit immota veritas, quòd quicquid est, id aut substantia sit, aut accidens, hoc est, vel per se subsistens quiddam, vel quod aliunde accidit, & in substantia hæret, quemadmodum paulò antè testimonio Ecclesiasticorum scriptorum docuimus & demonstrauimus: neq; ea de re quisquam, qui est sanæ mentis, dubitauerit: profectò necessariò fatendum est, neq; effugio vlli locus est: si quis quærat, an peccatum sit substantia, id est, res quædam per se subsistens, & non in alio, an verò accidens, hoc est, res non per se subsistens, sed in alio inhærens, quòd simpliciter, categoricè, & rotundè respondendum ac fatendum sit, Peccatum non esse substantiam, sed accidens.

Quare Ecclesiæ Dei (ad constituendam firmam pa-

cem-

tem, quò ad hanc controuersiam) non consulitur, sed dissidia magis fouentur & confirmantur, si Ecclesiæ ministri in dubio relinquantur, an peccatum originale substantia sit, an verò accidens: & an illud rectè & propriè substantia vel accidens nominetur.

Quopropter si controuersiam hanc (plenam certè offensionis & detrimenti) solidè componere velimus, necessarium est, vt vnusquisq; de hoc negocio rectè eruditatur.

Quando autem præterea quæritur, quale nam Accidens sit peccatum originis: hæc iam alia est quæstio. Huius quæstionis declarationem veram nullus Philosophus, nullus Papista, nullus Sophista, imò nulla humana ratio (quæ etiam acutissimi sit iudicij) proferre potest: sed eius explicatio è sola sacra scriptura est petenda. Ea verò testatur, quòd peccatum originale sit ineffabile malum, & tanta humanæ naturæ corruptio, quæ in natura, omnibusq; eius viribus tàm internis quàm externis, nihil finceri, nihil boni reliquerit, sed omnia penitùs deprauârit: ita quidem certè, vt homo, ratione peccati originalis, coram Deo verè & spiritualiter ad bonum cum omnibus viribus suis, planè sit emortuus.

Hac facta explicatione, per vocabulum Accidentis, peccatum originis haudquaquam extenuatur: cùm videlicet illud iuxta verbi Dei analogiam ita declaratur, quemadmodum D. Lutherus in latino suo commentario in caput tertium Geneseos contra extenuationem peccati originalis magno zelo disseruit. Vocabulum autem accidentis in hunc tantùm finem vsurpatur, vt discrimen inter opus Dei (quod est nostra natura, etiam corrupta) & inter Diaboli opus (quod est peccatum in opere Dei inhærens, eius videlicet operis intima & ineffabilis corruptio) monstretur.

Et sane D. Lutherus ipse in hoc negocio vsus est

voca-

vocabulo accidentis, quemadmodum etiam, Qualitatis: neq; eas voces reiecit. Interim tamen singulari diligētia & magno zelo declarauit, & inculcauit, quam horribilis sit qualitas & accidens: per quod humana natura non tantùm contaminata, aut impura facta, verùm etiam adeò in vniuersum corrupta est, vt nihil sinceri, nihil sani prorsus in ea sit relictum. Sic enim verba eius in explicatione Psalmi nonagesimi habent: Siue igitur peccatum originis QVALITATEM, siue MORBVM vocauerimus, profectò extremum malum est, non solùm pari æternam iram & mortem, sed nec agnoscere quidem, quæ pateris. Et in commentario super tertium caput Geneseos inquit: Qui isto veneno peccati originis à planta pedis, vsq; ad verticem infecti sumus: siquidem in natura adhuc integra hæc accidêre, &c.

II.
DE LIBERO ARBITRIO, SIVE DE VIRIBVS HVMANIS.

CVM de libero arbitrio, seu viribus humanis non modò inter nos & Pontificios hactenus controuersum fuerit: verùm etiam ea de re quidam Augustanæ Confessionis Theologi disceptârint; primùm omnium, quinam controuersiæ huius, inter Augustanæ Confessionis Theologos, status fuerit, perspicuè docebimus.

Quandoquidem homo, ratione liberi sui arbitrij, in quatuor, & quidem valde diuersis statibus, considerari potest: iam non quæritur, quale fuerit ipsius arbitrium ANTE LAPSVM: aut quale id sit, post lapsum, ante hominis conuersionē, in REBVS EXTERNIS,

quæ ad hanc vitam spectant: Neque quæritur, quale sit illud arbitrium, aut quantæ ipsius vires, etiam in rebus spiritualibus, POSTQVAM per Spiritum DEI REGENERATVS EST, & à Dei Spiritu iam regiuerat, aut, quale liberum arbitrium sit habiturus, quando à MORTVIS resurget. Sed hic est verus & vnicus controuersiæ Status; quid hominis NONDVM RENATI intellectus & voluntas, IN IPSA CONVERSIONE & regeneratione, ex PROPRIIS suis, & post lapsum RELIQVIS VIRIBVS præstare possit: quando videlicet verbum Dei prædicatur, & Dei gratia nobis offertur. Hîc quæritur, an homo ad hanc Dei gratiam apprehendendam sese applicare, eam amplecti, & verbo Dei assentiri possit. Hæc disputatio, iam aliquot, & quidem multos annos in Ecclesijs Augustanæ Confessionis, inter Theologos nonnullos fuit agitata.

Vna pars sensit atque docuit: quamuis homo propijs suis viribus, legem Dei implere, Deo verè confidere, ipsum timere & diligere, sine gratia Spiritus sancti, non possit: tamen tantum adhuc ipsi virium naturalium, ante regenerationem, reliquum esse, vt aliquo modo se ad gratiam Dei præparare, applicare, & assentiri, languidè tamen, possit. Sed nisi accedat gratia Spiritus sancti, nihil illum qualemcunq; assensum præstare posse, sed in lucta succumbere.

Ex altera autem parte Enthusiastæ, tum veteres, tum recentiores docuêre: quòd Deus hominem, sine vllo medio aut instrumento creaturarum, hoc est, sine externa prædicatione, & absque auditione verbi Dei, per Spiritum suum conuertat, & ad salutarem Christi agnitionem pertrahat.

Contra vtriusq; partis corruptelas, sinceri Augustinæ Confessionis doctores asseruerunt: hominem, ex lapsu primorum nostrorum parentum ita penitùs

corruptum esse, vt in rebus spiritualibus, quæ ad conuersionem & salutem nostram spectant, naturâ cæcus sit, & verbum Dei prædicatum neque intelligat, neque intelligere possit, sed illud vt rem stultam iudicet, & nunquam à seipso ad Deum appropinquet, sed potius inimicus Dei sit, & maneat, donec virtute Spiritus sancti, per verbum prædicatum & auditum, ex mera gratia, sine omni sua propria cooperatione, conuertatur, fide donetur, regeneretur & renouetur.

1. Cor. 2.

Vt autem hæc controuersia iuxta verbi Dei analogiam piè declaretur, & per ipsius gratiam decidatur, doctrina, fides, & confessio nostra hæc est, vt sequitur.

CREDIMVS, quòd hominis non renati intellectus, cor, & voluntas, in rebus spiritualibus & diuinis, ex proprijs naturalibus viribus prorsus nihil intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere, agere, operari, aut cooperari possint, sed homo ad bonum prorsus corruptus & mortuus sit, ita, vt in hominis natura, post lapsum, ante regenerationem, ne scintillula quidem spiritualium virium reliqua manserit, aut restet, quibus ille ex se ad gratiam Dei præparare se, aut oblatam gratiam apprehendere, aut eius gratiæ (ex sese & per se) capax esse possit, aut se ad gratiam applicare aut accommodare, aut viribus suis proprijs, aliquid ad conuersionem suam, vel ex toto, vel ex dimidia, vel minima parte, conferre, agere, operari aut cooperari (ex seipso, tanquam ex semetipso) possit, Sed homo sit peccati SERVVS, & mancipium Satanæ, à quo agitatur. Inde adeò naturale liberum arbitrium, ratione corruptarum virium & naturæ suæ deprauatæ, duntaxat ad ea, quæ Deo displicent & aduersantur, actiuum & efficax est.

Iohan. 8. Ephes. 2. 2. Tim. 2.

Hanc piam declarationem & generalem (ad statum causæ, in exordio huius tractationis propositum) responsionem, è verbo Dei desumta argumenta, quæ

reci-

recitabimus, confirmant. Licèt autem ea supercilio humanæ rationis & Philosophiæ displiceant: tamen nouimus, mundi huius peruersissimi sapientiam, coram Deo esse stultitiam, & quòd de capitibus religionis nostræ tantummodò ex verbo Dei sit iudicandum.

PRIMÒ, etsi humana ratio, seu naturalis intellectus hominis obscuram aliquam notitiæ illius scintillulam reliquam habet, quòd sit Deus: & particulam aliquam legis tenet: tamen adeò ignorans, cæca, & peruersa est ratio illa, vt etiamsi ingeniosissimi & doctissimi homines in hoc mundo Euangelion de Filio Dei, & promissiones diuinas de æterna salute legant vel audiant: tamen ea proprijs viribus percipere, intelligere, credere, & vera esse, statuere nequeant. Quin potiùs, quantò diligentiùs in ea re elaborant, vt spirituales res istas suæ rationis acumine indagent & comprehendant: tantò minùs intelligunt & credunt: & ea omnia pro stultitia & meris nugis & fabulis habent, priusquam à Spiritu sancto illuminentur & doceantur. Sic enim scribit Apostolus: Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Et quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et alibi de hominibus impijs & nondum renatis in hanc sententiam scribit: Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum. Et Christus inquit: Videntes non vident, & audientes non audiunt, neq; intelligunt, &c. Vobis autem datũ est, nosse mysteriũ regni Dei. Et rursus Apostolus ait: Non est intelligens, nõ est requirens Deũ. Omnes declinauerunt: simul inutiles facti sunt:

I.
Rom. 1.
1. Cor. 2.
1. Cor. 1.
Ephes. 4.
Matth. 13.
Luc. 8.
Rom. 3.

non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Et
Ephes. 5. sacra scriptura hominem naturalem, in rebus diuinis
Actor. 26. & spiritualibus, tenebras vocat. Lux in tenebris lucet,
Iohan. 1. hoc est, in tenebricoso & excæcato mundo, qui Deum
neque nouit neque curat, & tenebræ eam non com-
prehenderunt. Quin etiam sactæ literæ docent, homi-
Ephes. 2. nem in peccatis non tantummodò languidum & æ-
Colos. 2. grotum, verùm etiam prorsus mortuum esse.

Sicut igitur homo, qui corporaliter mortuus est, seipsum proprijs viribus præparare aut accommodare non potest, vt vitam externam recipiat: ita homo spiritualiter in peccatis mortuus, seipsum proprijs viribus ad consequendam spiritualem & cœlestem iustitiam & vitam præparare, applicare aut vertere non potest: nisi per filium Dei à morte peccati liberetur & viuificetur.

Scriptura igitur hominis naturalis intellectui, cordi, & voluntati omnem aptitudinem, capacitatem, & facultatem in rebus spiritualibus aliquid boni & recti (ex semetipso) cogitandi, intelligendi, inchoandi, volendi, proponendi, agendi, operandi, & cooperandi adimit. Sic enim inquit Apostolus: Non quòd idonei si-
2. Cor. 3. mus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed quòd
Roman. 3. idonei sumus, id ex Deo est, &c. Omnes inutiles facti
Iohan. 8. sunt. Sermo meus (ait Christus) non capit in vobis.
Iohan. 1. Tenebræ non comprehenderunt (seu receperunt) lu-
1. Cor. 2. cem. Animalis homo non percipit (vel vt græcum vocabulum significanter exprimit, ὁ δέχεται, non capit, non comprehendit, non accipit) ea, quæ sunt spiritus Dei, vel, non est capax rerum spiritualium: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, &c. Multò minùs igitur eiusmodi animalis seu naturalis homo Euangelio verè credere, aut assentiri, & id pro veritate agnoscere poterit. Carnis siue naturalis hominis sen-
Rom. 8. sus inimicitia est aduersus Deum: quia legi Dei non

subijcitur, ac ne potest id quidem. Summa, verum est, perpetuoque manebit verum, quod filius Dei inquit: Sine me nihil potestis facere. Et Apostolus ait: Deus est, qui operatur in vobis & VELLE, & PERFICERE, pro bona voluntate: quæ scripturæ dulcissima sententia, omnibus pijs mentibus, quæ scintillulam aliquam & desiderium gratiæ diuinæ & æternæ salutis in cordibus suis sentiunt, eximiam consolationem adfert. Certi enim sunt, quòd ipse Deus initium illud veræ pietatis tanquam flammulam, in cordibus ipsorum accenderit: quodq; velit eos etiam in magna infirmitate, porrò confirmare, & iuuare, vt in vera fide ad finem vsq; perseuerent.

Iohan. 15.
Philip. 2.

Huc referantur etiam omnes sanctorum precationes, quibus petunt, vt à Deo doceantur, illuminentur, & sanctificentur. His enim precibus fatentur, quòd ea, quæ petunt, suis naturalibus viribus habere nequeant, Et quidem Dauid in vno duntaxat Psalmo decies & ampliùs orat pro intellectu, vt doctrinam diuinam rectè capere & discere queat. Tales precatiunculæ multæ admodum in scriptis Paulinis extant: quæ preces & sententiæ, de ignorantia & impotentia nostra, nõ ideò nobis præscriptæ sunt, vt ad legendum, audiendũ atque meditandum verbum Dei tardiores atque remissiores reddamur, sed vt primùm Deo toto pectore gratias agamus, quòd nos è tenebris ignorantiæ, & captiuitate peccati ac mortis, per Filium suum liberauerit, & per Baptismum & Spiritum sanctum regenerauerit atque illuminauerit.

Psal. 119.

Ephes. 1.
Colos. 1.
Philip. 1.

Et, postquam Deus per Spiritum sanctum suum initium in Baptismo fecit, atque veram Dei agnitionem & fidem in cordibus nostris accendit atque operatus est: assiduis precibus orandus est, vt per eundem spiritum, sua gratia (per quotidiana exercitia audiendi, legendi, & ad vsum transferendi verbum Dei) in nobis

fidem & cœlestia sua dona fouere, de die in diem confirmare, & ad finem vsque conseruare velit. Nisi enim Dominus ipse Doctoris & præceptoris officio fungatur: nihil eorum, quæ ipsi grata, nobis autem & alijs salutaria sunt, discemus.

II. DEINDE, verbum Dei testatur, hominis naturalis non renati, intellectum, cor, & voluntatem in rebus diuinis, prorsus non modò à Deo auersa, verùm etiam aduersus Deum ad omne malum conuersa, & penitus deprauata esse. Item, hominem non tantùm infirmum, imbecillem, ineptum, & ad bonum emortuum: verùm etiam p̃ peccatũ originis adeò miserabiliter peruersum, veneno peccati infectum & corruptũ esse: vt ex ingenio & natura sua totus sit malus, Deo rebellis & inimicus, & ad omnia ea, quæ Deus odit, animium sit potens, viuus, efficax. Sensus & cogitatio humani cordis tantùm mala sunt, ab adolescentia sua. Prauum est cor hominis (ait Ieremias) & inscrutabile: quis cognoscet illud? Hoc dictum Apostolus his verbis interpretatur: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum. Caro concupiscit aduersus Spiritum. Hæc sibi inuicem aduersantur. Et ad Romanos sic ait: Scimus, quòd lex spiritualis est: ego autem carnalis, venundatus sub peccato. Et paulò post: Scio, quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea non habitet bonum, &c. Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem (qui ex Spiritu sancto renatus est:) Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati, &c.

Gen. 8.
Ierem. 17.
Rom. 8.
Galat. 5.
Rom. 7.

Si autem in beato Apostolo Paulo, & alijs renatis hominibus, naturale vel carnale liberum arbitrium, etiam post regenerationẽ legi diuinæ repugnat: quantò magis ante regenerationem legi & voluntati Dei rebellabit & inimicum erit? Ex his manifestum est (vt in articulo de peccato originis pluribus ostendimus, ad

quæ breuitatis causa nunc non referimus) liberum arbitrium, proprijs & naturalibus suis viribus, non modo nihil ad conuersionem, iustitiam, & salutem suam operari, aut cooperari, sed Spiritui sancto (qui hominem in Euangelio gratiam Dei & salutem offert) obsequi, credere, aut assentiri posse: sed potiùs, pro insita sua rebelli & contumaci natura, Deo & voluntati eius hostiliter repugnare, nisi spiritu Dei illuminetur atque regatur.

Eam ob causam sacræ literæ hominis non renati cor duro lapidi, qui ad tactum non cedat, sed resistat, item rudi trunco, interdum etiam feræ indomitæ comparant, non quòd homo post lapsum non ampliùs sit rationalis creatura: aut quòd absq; auditu & meditatione verbi diuini ad Deum conuertatur: aut quòd in rebus externis & ciuilibus nihil boni aut mali intelligere possit, aut liberè aliquid agere vel omittere queat.

Nam (vt D. Lutherus in Commentario super Psal. 90. dicit:) in ciuilibus externis rebus, quæ ad victum & corporalem sustentationem pertinent, homo est industrius, ingeniosus, & quidem admodum negotiosus: Sed in spiritualibus & diuinis rebus, quæ ad animæ salutem spectant, homo est instar statuæ salis (in quam vxor Patriarchæ Loth est conuersa:) imò est similis trunco & lapidi, ac statuæ vita carenti, quæ neque oculorum, oris, aut vllorum sensuum, cordisue vsum habet. Homo enim horrendam Dei iram aduersus peccatum, & ex ea consequentem mortem neque videt, neque agnoscit: sed strenuè in carnali sua securitate (etiam sciens volensq;) pergit: & ita in mille pericula, tandem etiam in æternam mortem & damnationẽ se præcipitat. Neq; ab eo ad interitũ cursu, homo precibus, admonitionibus, obsecrationibus, minis, obiurgationibus, reuocari se patitur: nulla doctrina,

D. Lutherus in 6. caput Oseæ: Et in Postillis Ecclesiasticis in epistolam natiuitatis Christi, Tit. 3. Et ibidem Dominic. 3. post Epiphaniæ.

nullæ conciones apud eum locum habent, antequam per Spiritum sanctum illuminatur, conuertitur & regeneratur. Ad hanc verò Spiritus sancti renouationem nullus lapis, nullus truncus, sed solus homo creatus est. Et cùm Deus, seuerissimo & iustissimo suo iudicio, lapsos malos spiritus prorsus in æternum abiecerit: singulari nihilominus & mera miseratione voluit, vt miserrima & lapsi hominis natura, conuersionis & gratiæ Dei, ac vitæ æternæ rursus capax participesq; fieret, & esset, non ex sua propria, naturali, & actiua aut efficaci habilitate, aptitudine aut capacitate (natura enim hominis est inimicitia aduersus Deum) sed ex mera gratia, per clementem & efficacem operationem Spiritus sancti. Et hoc ipsum vocat D. Lutherus, capacitatem: (non actiuam, sed passiuam) eamq; his verbis declarat: Quando Patres Liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis eius prædicant: quòd scilicet verti potest ad bonum per gratiam Dei, & fieri reuerà liberum, ad quod creatũ est. Horum similia etiam Augustinus lib. 2. contra Iulianũ scripsit.

Tom. I. pag. 236.

Antequam autem homo per Spiritum sanctum illuminatur, conuertitur, regeneratur, & trahitur, ex sese & proprijs naturalibus suis viribus in rebus spiritualibus, & ad conuersionem aut regenerationem suam, nihil inchoare, operari, aut cooperari potest: nec plus, quàm lapis, truncus, aut limus. Etsi enim locomotiuam potentiam seu externa membra regere, Euangelium audire, & aliquo modo meditari, atque etiam de eo differere potest: vt in Pharisæis & hypocritis est videre: tamen id tacitis cogitationibus, vt rem stultam spernit, neq; credere potest. Et hac in parte deterior est trunco; quia voluntati diuinæ rebellis est & inimicus: nisi Spiritus sanctus in ipso sit efficax, & fidem aliasq; Deo probatas virtutes atq; obedientiam in ipso accendat & operetur.

III.

PRAETEREA, sacræ literæ, hominis conuersionem, fidem in Christum, regenerationem, renouationem, & omnia, quæ ad illam efficaciter inchoandam & absoluendam pertinent, nequaquam humanis viribus naturalis Liberi Arbitrij, neque ex toto, neque dimidia, aut vlla vel minima ex parte, sed in solidum, id est, simpliciter SOLI diuinæ operationi & Spiritui sancto adscribunt, sicut etiam Apologia testatur.

Ratio & naturale liberum arbitrium habet aliquo modo facultatem, vel externam honestam vitam instituere possit: at vt internè homo renascatur, ipsiusq; cor & animus immutentur, hoc solius Spiritus sancti opus est. Et sanè is donat intellectum, & cor hominis aperit, vt scripturam intelligat, & verbo Domini attendat, vt Lucæ 24. scriptum est: Aperuit ipsis scripturam, vt eam intelligerent. Et Actor. 16. Lydiæ auscultanti Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur à Paulo. Operatur enim Dominus in nobis vtrumq;, & velle, & perficere, dat pœnitentiam, operatur fidem: vt Apostolus ait: Vobis donatum est, vt in eum credatis. Donum Dei est. Et Christus inquit: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Dominus donat cor intelligens, oculos videntes, & aures audientes. Spiritus sanctus est spiritus regenerationis & renouationis. Ille aufert durum, lapideum cor: & donat nouum, molle, & carneum cor, vt in præceptis eius ambulemus. Ille nos in Christo Iesu creat ad opera bona: & nos nouas creaturas facit. Et vt paucis dicamus: omne donum bonum est à Deo. Nemo potest ad Christum venire, nisi Pater traxerit eum. Nemo nouit Patrem, nisi cui Filius reuelare voluerit. Nemo potest Christum Dominum appellare, nisi per Spiritum sanctum. Sine me (inquit Christus) nihil facere potestis. Omnis sufficientia nostra à Deo est. Et quid habes, quod non accepisti? quid igitur gloriaris, quasi non acceperis?

Philip. 2.
Actor. 5.
2. Tim. 2.
Philip. 1.
Ephes. 2.
Iohan. 6.
Deut. 29.
Matth. 13.
Tit. 3.
Eze. 11. 36.
Deut. 30.
Psal. 51.
Ephes. 2.
1. Cor. 5.
Galat. 6.
Iacob. 1.
Iohan. 6.
Matth. 11.

1. *Cor.* 12. *Iohan.* 15. 2. *Cor.* 3. 1. *Cor.* 4. *De prædestinatione, cap.* 4.

Et sanè D. Augustinus hoc scripturæ loco, conuictum se esse fatetur, vt opinionem, quam antea ea de re falsam conceperat, abijceret. Senserat enim gratiam Dei in eo tantùm cõsistere, quòd in præconio veritatis Dei voluntas nobis reuelaretur: vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & ex nobis esse. Item, Erraui (inquit) cùm dicerem, nostrum esse credere & velle, Dei autem, dare credentibus & volentibus facultatem operandi.

Hæc doctrina in sacris literis solidissima fundamẽta habet, & Augustanæ Confessioni, alijsq; scriptis publicis & approbatis, quorum suprà mentionem fecimus, planè conformis est: quemadmodum dicta, quæ recitabimus, luculenter testantur.

In Articulo XX. Augustana Confessio hæc verba habet: Homines sine Christo, sine fide, & sine Spiritu sancto sunt in potestate Diaboli, qui impellit homines ad varia & manifesta scelera. Ideo primùm docentur homines de fide, quomodo Spiritus sanctus detur, & quòd Christus nos iuuet, & tegat contra Diabolũ, &c. Et paulò pòst: Humana ratio & virtus sine Christo nimis infirma est ad resistendum Diabolo, qui impellit homines ad peccandum, &c.

Ex his manifestum est, quòd Augustana Confessio hominis voluntatem in rebus spiritualibus, haudquaquam liberam pronunciet: sed affirmet, hominem esse in Diaboli potestate: Quomodo igitur suis ipse viribus ad Euangelion, aut ad Christum se conuertere posse?

Articulo 18. *Confessionis.*

Apologia Confessionis de libero arbitrio ad hunc modum docet: Non adimimus humanæ voluntati libertatem. Habet enim libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per se comprehendit, &c. Et paulò pòst: Humana corda sine Spiritu sancto, sunt sine timore Dei, sine fide, & fiducia erga Deum, nõ credunt

se ex-

secrauditi à Deo, sibi remitti peccata, & in tribulatione velle Deum opem ferre: igitur sunt impia.

Porrò arbor mala non potest ferre bonos fructus. Et sine fide impossibile est placere Deo. Igitur, etiamsi cõcedimus Libero arbitrio libertatem & facultatem externa legis opera efficiendi: tamen illa spiritualia non tribuemus libero arbitrio, scilicet, verè timere Deum, verè credere Deo, &c. Hæc satis clarè testantur, quòd Apologia humanæ voluntati nullas vires attribuat, vel bonum inchoandi, vel ex sese cooperandi.

De peccato Originis.

In articulis Smalcaldicis sequentes errores de libero arbitrio reijciuntur: quòd homo liberum habeat arbitrium, bonum agendi, & malum omittendi, &c. Et post aliqua tanquam error repudiatur, cùm docetur: Non posse ex scriptura probari, ad bonum opus necessariò requiri Spiritum sanctum, & eius gratiam.

De pœnitentia.

Præterea in articulis Smalcaldicis hæc leguntur. Et hæc pœnitentia in Christianis vsq; ad mortem durat. Luctatur enim cum reliquijs peccati in carne, per totam vitam: quemadmodum D. Paulus Rom. 7. testatur, se luctari cum lege membrorum suorum, atq; hoc non proprijs viribus, sed Spiritus sancti dono, quod remissionem peccatorum statim sequitur. Hoc donum quotidie aliquid de reliquijs peccati expurgat, & in hoc incumbit, vt hominem verè mundum & sanctum reddat. Hæc verba prorsus nihil de nostra voluntate loquuntur: neq; dicunt, quòd ea, etiam in renatis, aliquid ex sese, operetur, sed omnia Spiritus sancti dono adscribunt: quòd hominem emundet, & de die in diem meliorem & sanctiorem faciat: & ab eo opere vires nostræ propriæ prorsus excluduntur.

De tertio articulo Symboli Apostolici.

Maior D. Lutheri Catechismus sic habet: Illius Catholicæ Christianæ Ecclesiæ ego quoq; pars sum & membrum: omnium bonorum, quæ ipsa habet, particeps & consors: per Spiritum sanctum enim ad eam

com-

communionem cœlestium bonorum introductus, & Ecclesiæ sum insertus: hoc videlicet medio, quòd verbum Dei audiui, & adhuc audio: hoc enim initium est, per quod aditus ad Ecclesiam Dei nobis patet.

Antequam enim in Ecclesiam Christi introducti sumus, vilissima Diaboli mancipia eramus: quia de Deo & Christo nihil noueramus. Spiritus sanctus autem manet cum sancta Ecclesia Catholica ad nouissimum vsq; diem: & per Ecclesiam nos sanat, eiusq; operatur in docendo & propagando Dei verbo: per quod ipse sanctificationem nostram operatur & promouet: vt de die in diem proficiamus, & in fide confirmemur, atque in ferendis bonis fidei fructibus, quos ipse efficit, progressus subinde maiores faciamus, &c. In his omnibus, quæ iam è Catechismo recitauimus, liberi nostri arbitrij, aut cooperationis nostræ, ne vno quidem verbulo fit mentio: sed omnia Spiritui sancto attribuuntur: quòd, videlicet, nos per ministerium verbi in Ecclesiam Dei introducat, in qua nos sanctificet, & efficiat, vt quotidie in fide & bonis operibus proficiamus.

Quamuis autem renati, etiam in hac vita, eò vsq; progrediantur, vt bonum velint, eoq; delectentur, & bene agere atq; in pietate proficere studeant: tamen hoc ipsum (vt paulò antè dictum est) non à nostra voluntate, aut à viribus nostris proficiscitur; sed Spiritus sanctus (vt Paulus ipse de hac re loquitur) operatur in nobis illud VELLE & PERFICERE. Quemadmodum etiam alibi Apostolus hoc opus soli Deo tribuit, cùm inquit: Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu, ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

Philip. 2.

Ephes. 2.

In minori Catechismo D. Lutheri sic scriptum est: Credo, me non propria mea ratione aut virtute in Iesum Christum Dominum meum credere, ac ad ipsum

venire posse, quandoquidem Spiritus sanctus me per Euangelium vocauit, suis donis illuminauit, in recta fide sanctificauit & conseruauit, quemadmodum vniuersam Christianam Ecclesiam in terris vocat, colligit, illuminat, sanctificat, & in vera ac vna fide in Iesum Christum conseruat, &c.

Et in explicatione secundæ petitionis in Oratione Dominica hæc sunt verba: Quî fit hoc? (vt scilicet regnum Dei ad nos veniat) Responsio: Quando cœlestis Pater nobis Spiritum sanctum suum largitur, vt verbo eius sancto per gratiam Dei credamus, & piè viuamus, &c.

Hæc testimonia affirmant, nos proprijs viribus non posse ad Christum venire, sed Deum dare nobis Spiritum suum sanctum, à quo illuminamur, sanctificamur, & ita ad Christum per fidem adducimur, atq; in ipso conseruamur. Hic nec voluntatis nostræ, nec cooperationis mentio fit.

His adiungemus dictum, quo D. Lutherus tandem adhibita protestatione seipsum declarat, quòd in hac doctrina vsq; ad vitæ finem perseuerare velit. Verba in maiore Confess. de sacrosancta Cœna hæc sunt: Reijcio & damno tanquam meros errores, omnia dogmata, quæ nostrum liberum arbitrium prædicant, vtpote quæ auxilio & gratiæ saluatoris nostri Iesu Christi simpliciter repugnant. Cùm enim (extra Christum) mors & peccatum nobis dominentur, & Diabolus sit Deus & princeps noster, non potest hîc esse vlla potentia aut virtus, sapientia, aut intelligentia in nobis, qua ad iustitiam & vitam nos parare & eam quærere possimus, sed constat nos planè excæcatos & captiuos, & peccati ac diaboli mancipia esse, & facere atque cogitare ea, quæ ipsis placent, & Deo & præceptis eius aduersa sunt.

In his verbis D. Lutherus piæ sanctæq; memoriæ,

libero

libero nostro arbitrio prorsus nihil virium tribuit, quibus se homo ad iustitiam præparare, aut eam quærere possit. Contrà verò docet, hominem excæcatum & captiuum tantummodò voluntari Satanæ parére, & ea, quæ Deo displicent, facere. Quare non est in hoc negocio summianda vlla cooperatio voluntatis nostræ, in hominis conuersione. Etenim necesse est, vt homo diuinitùs trahatur, & ex Deo renascatur: aliàs nulla in cordibus nostris cogitatio est, quæ à seipso ad euangelion amplectendum, sese conuertat. Hoc negocium D. Lutherus in libro suo, De Seruo arbitrio contra Erasmum, egregiè & solidè explicuit, atq; sententiam hanc piam & mundam esse demonstrauit. Posteà, in Commentario illo præclaro, quem in Genesin scripsit (præcipuè in explicatione 26. capitis) eandem repetiuit & declarauit. Eo loco etiam alias quasdam peculiares ab Erasmo motas disputationes (vt, de absoluta necessitate, &c.) attigit: & quomodo ea intelligi & accipi vellet, contra omnes siniistras suspiciones & corruptelas, pia explicatione optimè muniuit. Ea hic repetita esse volumus: & vt diligenter legantur, omnes hortamur.

Iohan. 6.

Quare malè docetur, cùm fingitur: hominem non renatum adhuc tantum habere virium, vt Euangelion amplecti, eoq; sese consolari cupiat: & hoc modo humanam voluntatem (qualis natura est) in conuersione aliquo modo cooperari. Hæc enim falsa opinio, sacrosanctæ scripturæ, piæ Augustanæ Confessioni, eiusdem Apologiæ, Smalcaldicis articulis, Maiori & minori Catechismis Lutheri, & alijs huius excellentissimi & diuinitùs illuminati Theologi scriptis repugnat.

Non ignoramus autem, & Enthusiastas & Epicuræos pia hac, de impotentia & malitia naturalis liberi arbitrij, doctrina (qua conuersio & regeneratio nostra soli Deo, nequaquam autem nostris viribus tribuitur

impiè

impiè, turpiter, & malignè abuti. Et multi impijs illorum sermonibus offensi atq; deprauati, dissoluti & seri sunt, atq; omnia pietatis exercitia, orationem, sacram lectionē, pias meditationes, remissè tractant aut prorsus negligunt: ac dicunt, quandoquidem proprijs suis naturalibus viribus ad Deum sese conuertere nequeant, perrecturos se in illa sua aduersus Deum contumacia: aut expectaturos, donec à Deo violenter, & contra suam ipsorum voluntatem cōuertantur. Et cùm in hisce spiritualibus rebus nullam agendi facultatem habeant, sed totum illud conuersionis negocium solius Spiritus sancti operatio sit, negant se porrò verbum Dei vel audituros vel lecturos, aut sacremento vsuros: sed expectare velle, donec ipsis Deus immediatè cœlitus dona sua infundat, vt reuerà in seipsis sentire & experientia ipsa certiores fieri possint, se à Deo conuersos esse.

Alij verò, vt infirmæ & perturbatæ mentes, non satis rectè intellecta pia nostra doctrina de libero arbitrio, fortasse in tristes has cogitationes & periculosam dubitationem incidere possent: an sint à Deo electi: & an Deus dona illa per Spiritum sanctum in ipsis operari velit: præsertim cùm in cordibus suis non adeò firmam & flagrantem fidem, promtamq; obedientiam, sed solummodò meras infirmitates, miserias & angustias sentiant.

Hanc ob causam porrò è verbo Dei docebimus: quomodo homo ad Deum conuertatur: quomodo & quibus medijs (videlicet per verbum vocale, & per Sacramenta) Spiritus sanctus in nobis efficax sit, & veram pœnitentiam, fidem, nouasq; spirituales vires ac facultates ad bene agendum, in cordibus nostris operari & largiri velit: & quemadmodum nos erga oblata illa media gerere, & ijs quomodo vti debeamus.

Non est voluntas Dei, vt quisquam pereat: sed vult,

vt omnes

vt omnes homines ad ipsum conuertantur, & in æternum salui fiant. Viuo ego (inquit Dominus) nolo mortem peccatoris: sed vt conuertatur, & viuat. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui in eum crediderit, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Ezech. 33.

Iohan. 3.

Propterea Deus pro sua ineffabili bonitate & clementia curat, vt & sua diuina & immota lex, & mirandum consilium, de liberatione nostra, sanctum videlicet & salutificum Euangelion de æterno filio suo vnico saluatore & redemtore nostro Iesu Christo, publicè annuncientur. Ea prædicatione æternam Ecclesiam sibi è genere humano colligit: & in hominum mentibus, veram pœnitentiam, agnitionem peccatorum, & fidem veram in filium Dei, Iesum Christum, operatur. Et visum est Deo per hoc medium, & non alio modo, nimirum per sanctum verbum suum, cùm id vel prædicari auditur vel legitur, & per Sacramentorum legitimum vsum homines ad æternam salutem vocare, ad se trahere, conuertere, regenerare, & sanctificare. Quia in Dei sapientia (inquit Apostolus) non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et Angelus inquit: Petrus loquetur tibi verba, in quibus saluus eris tu, & vniuersa domus tua. Et: Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Item: Sanctifica eos, pater, in veritate tua, verbum tuum est veritas, &c. Oro autem pro ijs etiam, qui per sermonem ipsorum in me sunt credituri. Quapropter æternus Deus pater cœlestis cœlitùs de filio suo dilecto, & de omnibus, qui ipsius nomine pœnitentiam, & remissionem peccatorum prædicant, clamat: HVNC AVDITE.

1. Cor. 1.

Actor. 10.

Rom. 10.

Iohan. 17.

Matth. 17.

Hanc verbi Dei prædicationem audire oportet omnes, qui æternam salutem consequi cupiunt. Prædicatio enim verbi Dei, & eiusdem auscultatio, sunt Spiritus

rus sancti instrumenta, cum quibus, & per quæ efficaciter agere, & homines ad Deum conuertere, atque ipsis & velle & perficere operari vult.

Hoc Dei verbum homo, etiam nondum ad Deum conuersus, nec renatus, externis auribus audire aut legere potest. In eiusmodi enim externis rebus, vt suprà dictum est, homo adhuc, etiam post lapsum, aliquo modo liberum arbitrium habet, vt ad cœtus publicos Ecclesiasticos accedere, verbum Dei audire, vel non audire possit.

Per hoc medium seu instrumentum, prædicationem nimirum, & auditionem verbi, Deus operatur: emollit corda nostra, trahitque hominem: vt ex concionibus legis & peccata sua, & iram Dei agnoscat, & veros terrores, atque contritionem in corde suo sentiat. Et per annunciationem ac meditationem Euangelij, de gratuita & clementissima peccatorum remissione in Christo, scintillula fidei in corde ipsius accenditur, quæ remissionem peccatorũ propter Christum amplectitur, & sese promissione Euangelij, consolatur: & hoc modo Spiritus sanctus, qui hæc omnia operatur, in cor mittitur. Galat. 4.

Etsi autem vtrumq; tum concionatoris plantare & rigare, tum auditoris currere & velle, frustrà omnino essent, neque conuersio sequeretur, nisi Spiritus sancti virtus & operatio accederet: qui per verbum prædicatum & auditum corda illuminat & conuertit, vt homines verbo credere & assentiri possint: tamen neque concionator neque auditor de hac Spiritus sancti gratia & operatione dubitare debent. Quin potiùs vterque certò sciat, si verbum Dei, iuxta mandatum & voluntatem Dei purè & sincerè prædicatum fuerit, & homines diligenter & seriò auscultauerint, illudque meditati fuerint, certissimè Dominum gratia sua præsentem adesse, & largiri ea, vt paulò antè

dictum est, quæ homo aliâs suis proprijs viribus neque accipere, neque dare potest. De præsentia enim, operatione & donis Spiritus sancti non semper ex sensu (quomodo videlicet & quando in corde sentiuntur) iudicari debet aut potest: Sed quia hæc sæpe multiplici infirmitate contecta fiunt, ex promissione verbi Dei certò statuere debemus, quòd verbum Dei prædicatum & auditum reuerà sit ministerium & organon
2. Cor. 2. Spiritus sancti, per quod in cordibus nostris verè efficax est & operatur.

At si homo quispiam neq; verbum Dei audire, neque legere velit, sed potiùs ministerium verbi & Ecclesiam Dei contemnat, & in peccatis suis ita moriatur & pereat: is neque ex æterna Dei prædestinatione quicquam consolationis capere, neq; misericordiam apud Deum consequi potest. Christus enim, in quo electi sumus, omnibus hominibus clementiam suam in verbo & Sacramentis offert, & seriò vult, vt verbum illud audiatur: ac promisit, vbicunque duo aut tres in nomi-
Matth. 18. ne eius congregati fuerint, & verbum eius piè tractauerint, ibi se in medio ipsorum adfuturum.

Quare cùm homo prophanus instrumenta seu media Spiritus sancti contemnit, neque verbum Dei audire vult, non fit illi iniuria, si à Spiritu sancto non illuminetur, sed in tenebris infidelitatis suæ relinquatur,
Matth. 23. & pereat. De hac re sic scriptum extat: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodũ gallina congregat pullos suos sub alas, & NOLVISTI?

Et hac ratione rectè etiam dici potest, hominẽ non esse lapidem aut truncum. Lapis enim aut truncus non reluctatur ei, à quo mouetur: sed neque intelligit aut sentit, quid secum agatur, sicut homo Deo sua voluntate reluctatur, donec ad Dominum conuersus fuerit. Et tamen verũ est, quòd homo, etiam ante conuersionem, sit creatura rationalis, quæ intellectum & voluntatem habeat: (intellectum autem non in rebus

diui-

diuinis, & voluntatem, non vt bonum & salutare aliquid velit:) sed tamen ad conuersionem suam (vt sæpiam est dictum) prorsus nihil conferre potest. Et hæc in parte multò est deterior lapide aut trunco: quia repugnat verbo & voluntati Dei, donec Deus eum à morte peccati resuscitet, illuminet atque renouet. Etsi autem Dominus hominem non cogit, vt conuertatur (qui enim semper Spiritui sancto resistunt, & veritati agnitæ perseuerantes repugnant: quod sanctus Stephanus induratis Iudæis tribuit: hi non conuertuntur:) attamen trahit Deus hominem, quem conuertere decreuit. Sic autem eum trahit, vt ex intellectu cæcato, illuminatus fiat intellectus, & ex rebelli voluntate fiat promta & obediens voluntas. Et hoc ipsum scriptura vocat, NOVVM COR CREARE. Eam ob causam etiam non rectè dicitur: hominem ante conuersionem in rebus spiritualibus habere MODVM AGENDI aliquid, quod sit bonum & salutare. Cùm enim homo ante conuersionem in peccatis mortuus sit: non potest in ipso aliqua vis ad bene agendum in rebus spiritualibus, inesse: itaq; non habet modũ operãdi seu agendi aliquid in rebus diuinis. Quãdo verò de eo agitur, quomodo Deus in homine operetur, verè quidem est, quòd Deus alium modum agendi habeat in homine, vtpote in creatura rationali; & alium modũ in alia aliqua irrationali creatura, vel in lapide aut trunco: nihilominus ea de causa homini ante conuersionem eius modus agendi aliquid boni in rebus diuinis, tribui non potest. Quando verò iam homo est conuersus & illuminatus, eiusque voluntas renouata est: tunc homo VVLT BONVM, quatenus renatus & nouus homo est: & lege Dei delectatur, secundũ interiorem hominem. Et in posterum tantum boni, & tandiu bonum operatur, quantũ, & quam diu à Spiritu Dei impellitur: sicut D. Paulus ait: Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Hæc autem agitatio Spiritus

Non cogit Deus hominem invitum. Actor. 7. Sed tantum trahit.

Ephes. 2.

Rom. 7.

sancti non est coactio: sed homo conuersus sponte bonum operatur: quemadmodum Dauid inquit: Post victoriam tuam populus tuus tibi spontaneus offeret.

Psal. 110.

Et tamen simul, etiam in renatis lucta carnis & spiritus reliqua manet, de qua Paulus ait: Delector lege Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Et ibidem: Seruio igitur mente legi Dei, carne verò legi peccati. Et ad Galatas inquit: Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur: vt non quæcunque vultis, illa faciatis.

Rom. 7.

Galat. 5.

Ex his consequitur, quam primum Spiritus sanctus (vt dictum est) per Verbum & Sacramenta opus suum, regenerationis & renouationis in nobis inchoauit: quòd reuerà tunc per virtutem Spiritus sancti cooperari possimus ac debeamus: quamuis multa adhuc infirmitas concurrat. Hoc verò ipsum, quòd cooperamur, non ex nostris carnalibus & naturalibus viribus est, sed ex nouis illis virib. & donis, quæ Spiritus sanctus in conuersione in nobis inchoauit. In quam sententiam D. Paulus expressis verbis grauiter hortatur, vt curemus, ne, tanquam Dei cooperarij, frustra Dei gratiam acceperimus. Quod tamen sic, & non aliter intelligendum est: hominem iam conuersum tantum atq; tamdiu bene operari, quantum & quamdiu à Deo per Spiritum sanctum ducitur, regitur & gubernatur. Quamprimum enim Dominus clementem suam manum ab ipso retraheret, homo quidem ne ad minimum momentum in obedientia diuina perseuerare posset. Si quis verò Pauli dictum in ea sententia accipere vellet, quasi homo conuersus vnà cum Spiritu sancto eo modo cooperaretur, quemadmodum duo equi simul vnà currum trahunt: equidem hoc

N.

2. Cor. 6. συνεργοῦντες παρακαλοῦμεν: Nos, qui sumus administri seu cooperarij Dei, monemus vos, vt nostrũ exemplum imitemini, qui

citra

contra veritatis diuinæ iacturam concedi haudquaquam posset.

Quapropter ingens discrimen est inter homines baptizatos & non baptizatos. Cùm enim, iuxta Pauli doctrinam, omnes, qui baptizati sunt, Christum induerint, & reuerà sint renati, habent illi iam liberatum arbitrium: hoc est, rursus liberati sunt: vt Christus testatur. Vnde etiam non modò verbum Dei audiunt, verùm etiam, licèt non sine multa infirmitate, eidem assentiri, illudq; fide amplecti possunt.

estis aruum & ædificatio Dei, 1. Cor. 3. ne gratia Dei in vobis sit inanis, 1. Cor. 15. sed vt sitis templum Dei viuentis & habitantis in vobis, 2. Cor. 6.

Cùm enim in hac vita tantùm primitias Spiritus acceperimus, & regeneratio nondum sit absoluta, sed solummodò in nobis inchoata: manet perpetua quædam lucta inter carnem & Spiritum etiam in electis & verè renatis hominibus. Et quidem non modò inter Christianos magnum discrimen deprehenditur: quorum hic infirmus, ille robustus est Spiritu: verùm etiam hanc diuersitatem quilibet Christianus in semetipso animaduertere potest, se nunc quidem excelso animo esse, & ad omnia virtute Spiritus paratum promptumque, nunc verò timido & trepido: & iam quidem charitate ardere, firmum in fide & spe esse, pòst verò frigere, & imbecillitatem suam sentire.

Cùm verò homines baptizati contra conscientiam aliquid patrârint, & peccato in mortali suo corpore dominium concesserint, atque ita Spiritum sanctum in seipsis contristârint & amiserint, non opus est quidem, vt rebaptizentur: necesse est autem, vt rursus conuertantur, de qua re antea satis dictum est.

Hoc enim certissimum est, in vera conuersione immutationem, renouationem, & motum fieri oportere in hominis intellectu, voluntate, & corde: vt nimirum, hominis mens peccata agnoscat, iram Dei metuat, à peccato sese auertat, promissionem gratiæ in Christo agnoscat & apprehendat, pias cogitationes animo

agitet, bonum propositum habeat, atque diligentiam in moribus suis regendis adhibeat, & contra carnem pugnet. Vbi enim nihil horum fit; ibi procul dubio etiam non est vera ad Deum conuersio. Cùm autem quæstio sit de CAVSA EFFICIENTE, hoc est, quisnam hæc in nobis operetur, vnde homo hoc ipsum habeat, & quomodo id consequi possit: hæc pia doctrina ostendit horum bonorum fontem, hoc videlicet modo. Cùm naturales hominis vires ad veram conuersionem nihil conferre, aut quicquam adiumenti adferre possint, Deus ineffabili bonitate & misericordia nos præuenit: & Euangelion (per quod Spiritus sanctus cõuersionem & renouationem in nobis operari & perficere vult) annunciari curat; & per verbi sui prædicationem & meditationem, fidem, aliasque pietatis virtutes in nobis accendit: ita quidem, vt hæc omnia solius Spiritus sancti dona sint atq; operationes. Quin etiam hæc sincera doctrina ostendit nobis media, per quæ Spiritus sanctus hæc, quæ diximus, in nobis vult inchoare & efficere: & monet, quomodo hæc dona conseruentur, confirmentur, & augeantur: & hortatur, vt gratiam illam diuinam non frustra acceperimus: sed vt dona illa sedulò exerceamus, cogitantes, quàm graue sit peccatum, tales Spiritus sancti operationes impedire, aut illis resistere.

1. Cor. 2.
2. Cor. 2.

Ex hac solida totius doctrinæ de libero arbitrio explicatione de quæstionibus illis, quæ iam multis annis in Ecclesijs Augustanæ Confessionis agitatæ sunt, iudicari potest. Verbi gratia: quòd quæsitum fuit: an homo ante, in, vel post conuersionem Spiritui sancto repugnet? vel purè passiuè se habeat? an homo conuertatur vt truncus? an Spiritus sanctus detur repugnantibus? & an conuersio hominis fiat per modum coactionis? Hæc atque huiusmodi multa, iuxta

recita-

ritatem piam nostram de hoc articulo doctrinam, similè dijudicari, & contraria falsa dogmata & errores agnosci, redargui atque reijci possunt, vt sunt:

PRIMÒ Stoicorum & Manichæorum furores, qui asseruerunt: omnia, quæ fiunt, necessariò fieri, & quidem eo, quo fiunt, & non alio modo: & hominem coactum omnia facere. Et, quòd hominis voluntas etiam in externis operibus nullam omnino libertatem aut facultatem (ad externam ciuilem iustitiam, & disciplinam honestam aliquo modo præstandam, & ad vitanda externa peccata & flagitia) habeat: aut, quòd hominis voluntas ad externa scelera, libidines, rapinas, cædes, &c. violenter cogatur. I.

Deinde crassus ille Pelagianorum error: quòd liberum arbitrium ex proprijs naturalibus viribus, sine Spiritu sancto sese ad Deum conuertere, Euangelio credere, legem Dei etiam toto corde implere, atque hac libera & spontanea sua obedientia remissionem peccatorum & vitam æternam promereri possit. II.

Posteà Papistarum & Scholasticorum error, qui aliquantò subtiliùs falsam opinionem suam proposuerunt, & docuerunt, quòd homo naturalibus suis viribus initium ad agendum bonum & ad conuersionem suam facere possit: sed quia infirmior sit, quàm vt bene cœpta perficere queat, quòd Spiritus sanctus illa, quæ naturalibus proprijs viribus inchoata erant, adiuuet & absoluat. III.

tantùm morari non vt pur: fiere.

Item, Synergistarum dogma: qui fingunt hominem in rebus spiritualibus non prorsus ad bonum esse emortuum, sed tantùm grauiter vulneratum & semimortuum esse. Et quamuis liberum arbitrium infirmius sit, quàm vt initium facere, & seipsum proprijs viribus ad Deũ cõuertere, & legi Dei toto corde obedire IIII.

NB. tantùm continere sed proprijs viribus Synerg.

possit: tamen si Spiritus sanctus initium faciat, & nos per Euangelion vocet, gratiam suam, remissionem peccatorum, & æternam salutem nobis offerat, tunc liberum arbitrium proprijs suis naturalibus viribus Deo occurrere, & aliquo modo (aliquid saltem, etsi parum & languidè) ad conuersionem suam conferre, eam adiuuare, cooperari, sese ad gratiam præparare & applicare, eam apprehendere, amplecti, Euangelio credere, & quidem in continuatione & conseruatione huius operis, proprijs suis viribus, vnà cum Spiritu sancto COOPERARI POSSE.

Contra hunc errorem suprà luculenter demonstratum est, quòd facultas applicandi se ad gratiam non ex nostris naturalibus proprijs viribus, sed ex sola Spiritus sancti operatione promanet.

V. Item, Pontificum & Monachorum doctrina: quòd homo postquã regeneratus est, Legem Dei in hac vita perfectè implere possit: & quòd per hanc impletionem legis coram Deo, iustificetur, & vitam æternam promereatur.

VI. Ab altera parte magna seueritate & pio zelo redarguendi sunt Enthusiastæ, neque in Ecclesia Dei ferendi: qui somniant, Deum sine omnibus medijs, sine auditione verbi diuini & sine vsu Sacramentorum hominem ad se trahere, illuminare, iustificare, & saluum facere.

XII. Item, qui fingunt: Deum in conuersione & regeneratione nouum cor, atque adeò nouum hominem ita creare, vt veteris Adami substãtia & essentia (præsertim verò anima rationalis) penitùs aboleatur, & noua animæ essentia ex nihilo creetur. Hunc errorẽ expressè refutat D. Augustinus, in explicatione Psalmi vigesimi quinti, quo loco dictum Pauli: Deponite veterem hominem, &c. adfert & interpretatur, hisce verbis: Ne aliquis arbitretur, deponendam esse aliquam sub-

stan-

tantiam exposuit, quid esset, deponite veterem hominem, & induite nouum, &c. cùm dicit in consequentibus: quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem. Ecce hoc est deponere veterem hominem, & induere nouum.

VIII.

Repudiamus etiam sequentes loquendi formas, si quis ijs citra declarationem vtatur: quòd hominis voluntas ante conuersionem, in ipsa conuersione, & post conuersionem Spiritui sancto repugnet: & quòd Spiritus sanctus detur ipsi repugnantibus.

Ex ea enim, quam paulò antè recitauimus, explicatione manifestum est, vbi per Spiritum sanctum in hominis intellectu, voluntate & corde prorsus nulla fit immutatio ad bonum, & homo promissioni diuinæ fidem prorsus non adhibet, & à Deo ad gratiam non redditur idoneus, sed totus verbo Dei repugnat, quòd ibi nulla conuersio vel fieri vel esse possit. Conuersio enim hominis talis est immutatio, per operationem Spiritus sancti, in hominis intellectu, voluntate, & corde, qua homo (operatione, videlicet, Spiritus sancti) potest oblatam gratiam apprehendere. Et quidem omnes illi, qui operationi & motibus Spiritus sancti (quæ per verbum fiunt) contumaciter & perseuerantèr repugnant, non accipiunt, sed contristant & amittunt Spiritum sanctum.

Manet quidem etiam in renatis rebellio quædam, cuius scriptura mentionem facit: quòd, nimirum, caro concupiscit aduersus spiritum: quòd carnales concupiscentiæ aduersùs animam militant: & quòd lex illa in membris legi mentis repugnat.

Galat. 5.
1. Pet. 2.
Roman. 7.

Homo autem non renatus, Deo prorsus rebellis est, & totus est seruus peccati. Renatus verò delectatur lege Dei, secundùm interiorem hominem. Videt autem nihilominus in membris suis legem peccati, quæ legi mentis repugnat. Quare mente quidem seruit legi Dei,

Iohan. 8.
Rom. 6.

Roman. 7. carne verò legi peccati. Ad hunc modum vera de hoc negocio sententia solidè, perspicuè & dextrè declaranda & docenda est.

Quòd verò attinet ad phrases & dicta Chrysostomi & Basilij: Trahit Deus: sed volentem trahit: Tantùm velis, & Deus præoccurrit. Item, Scholasticorum & Pontificiorum: Hominis voluntas in conuersione non est otiosa, sed agit aliquid, &c. quia dicta illa pro confirmando naturali libero arbitrio in conuersione hominis, contrà doctrinam gratiæ Dei introducta sunt ex proposita declaratione manifestè apparet, formas sanorum verborum ea non esse analoga, sed cum illa pugnare: & idcirco, cùm de conuersione ad Deum agitur, meritò vitanda esse.

Conuersio enim voluntatis nostræ deprauatæ (quæ reuerà nihil aliud est, quàm eiusdem resuscitatio à spirituali morte) omninò solius Dei opus est: sicut etiam resuscitatio in corporali carnis resurrectione soli Deo est tribuenda: quemadmodum suprà perspicuè id explicatum, & solidis scripturæ sacræ testimonijs demonstratum est.

Quomodo verò Dominus in conuersione ex rebellibus & nolentibus hominibus, per Spiritus sancti tractum, volentes & promtos faciat: & quòd post hominis conuersionem voluntas iam renata, in quotidianis pœnitentiæ exercitijs, non sit ociosa, sed in omnibus operibus Spiritus sancti (quæ ille per nos efficit) cooperetur, suprà satis perspicuè est declaratum.

Et quando Doct. Lutherus affirmat, hominem in conuersione sua purè passiuè sese habere, id est, planè nihil agere, sed tantummodo pati id, quòd Deus in ipso agit, certè non sentit, quòd conuersio absque prædicatione & auditione verbi Dei fiat: neque hæc ita accipi voluit, quasi in conuersione per Spiritum sanctum prorsus nulli noui motus in nobis excitentur,

neq; vllà spiritualis operatio in nobis inchoëtur. Sed hoc voluit Doct. Lutherus: hominem ex seipso, aut naturalibus suis viribus non posse aliquid conferre, vel adiumentum adferre ad suam conuersionem: & hominis conuersionem, non tantùm ex parte, sed totam prorsus esse operationem, donum, & opus solius Spiritus sancti: qui eam virtute & potentia sua, per verbum (in intellectu, corde & voluntate hominis, tanquàm in subiecto patiente, vbi homo nihil agit, aut operatur, sed tantùm patitur,) efficiat atq; operetur. Quod tamen non eo modo fit, quasi cùm statua è lapide formatur: aut sigillum in ceram imprimitur: quæ cera neque noticiam, neque sensum, neq; voluntatem habet: sed eo modo hominis immutationem & renouationem fieri credimus, quem satis luculenter suprà explicuimus.

Quandoquidem etiam iuuentus in scholis, doctrina illa de tribus causis efficientibus concurrentibus in conuersione hominis non renati, vehementer perturbata est, dum disputatum fuit, quomodo illæ, (verbum videlicet prædicatum & auditum, Spiritus sanctus, & hominis voluntas) concurrant: denuò repetitum volumus ex suprà posita explicatione, quòd conuersio ad Deum sit solius Spiritus sancti opus: qui solus est egregius ille artifex, hæc in nobis efficiens: interim tamen prædicatione & auditu sancti verbi sui (tanquam ordinario & legitimo medio seu instrumento suo) vtitur. Hominis autem nondum renati intellectus & voluntas, tantùm sunt subiectum conuertendum, sunt enim hominis spiritualiter mortui intellectus & voluntas, in quo homine Spiritus sanctus conuersionem & renouationem operatur, Ad quod opus hominis conuertendi voluntas nihil confert: sed patitur, vt Deus in ipsa operetur, donec regeneretur.

Postea

Posteà verò in alijs sequentibus bonis operibus Spiritui sancto cooperatur, ea faciens, quæ Deo grata sunt: eo modo, qui iam à nobis in hoc scripto abundè satis est declaratus.

III.
DE IVSTITIA FIDEI CORAM DEO.

TERTIA controuersia inter Theologos quosdam Augustanæ Confessionis orta, est de Iustitia Christi, seu iustitia fidei, quæ à Deo, per fidem, miseris peccatoribus ad iustitiam ex gratia imputatur.

Alij contenderunt, iustitiam fidei (quam Apostolus iustitiam Dei appellat) esse iustitiam Dei essentialem: quæ sit ipse Christus, vt verus naturalis & essentialis Dei filius, qui per fidem in electis habitet, eosq; ad bene operandum impellat: & hac ipsa ratione eorum sit iustitia: cuius inhabitantis essentialis iustitiæ respectu, omnium hominum peccata sese habeant instar guttulæ aquæ, ad magnum mare collatæ.

Alij verò asseruerunt, Christum esse iustitiam nostram, duntaxat iuxta humanam suam naturam.

Contra vtrosq; vnanimi consensu reliqui Augustanæ Confessionis Theologi docuerunt, Christum esse nostram iustitiam non secundùm diuinam tantùm naturam, neq; etiam secundùm humanam tantùm, sed iuxta vtranq; naturam: quippe qui nos (vt Deus & homo) à peccatis nostris perfectissima sua obedientia liberauerit, iustificauerit, atq; saluos fecerit. Itaq; asseruerunt, fidei iustitiam esse remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & adoptionem in filios Dei: propter solam Christi obedientiam: quæ per solam fidem, ex mera gratia omnibus verè credentibus

ad iu-

ad iustitiam imputetur; ita vt ipsi propterea ab omni iustitia absoluantur.

Præter hanc controuersiam etiam aliæ quædam disputationes de articulo iustificationis (occasione formulæ Interim seu Interreligionis) & aliâs motæ sunt, quæ postea in anthithesi, id est, in recitatione errorum, qui puræ doctrinæ in hoc articulo aduersantur, explicabuntur.

Hic autem articulus de iustitia fidei, præcipuus est (vt Apologia loquitur) in tota doctrina Christiana, sine quo conscientiæ perturbatæ nullam veram & firmam consolationem habere, aut diuitias gratiæ Christi rectè agnoscere possunt. Id D. Lutherus suo etiam testimonio confirmauit, cùm inquit: Si vnicus hic articulus sincerus permanserit, etiam Christiana Ecclesia sincera, concors, & sine omnibus sectis, permanet: sin verò corrumpitur, impossibile est, vt vni errori aut fanatico spiritui rectè obuiam iri possit. Et de hoc articulo D. Paulus præcipuè loquitur, cùm inquit: paulum fermenti totam conspersionem fermentat. Atque ea ipsa de causa Paulus particulas exclusiuas (videlicet, sine lege, sine operibus, ex gratia, gratis) quibus humana opera excluduntur, in hoc articulo tanta diligentia, tantoq; zelo vrget: vt ostendat, quòd valde necessarium sit, vt in hoc articulo non modò sincera doctrina perspicuè explicetur, verùm etiam antithesis ponatur, & omnia veritati contraria dogmata à pia doctrina segregentur, excludantur, & reijciantur.

Tom. 5. Ien. pag. 159.

Galat. 5.

Quare vt hæc controuersia piè, iuxta verbi Dei analogiam, explicetur, & per gratiam Dei componatur, sinceram doctrinam, fidem & confessionem nostram ad hunc modum recitamus.

De iustitia fidei coram Deo, vnanimi consensu credimus, docemus, & confitemur, (iuxta compendiaria

Christia-

Christianæ nostræ fidei & Confessionis capita, quæ suprà posuimus (quòd homo peccator coram Deo iustificetur, hoc est, absoluatur ab omnibus suis peccatis, & à iudicio iustissimæ condemnationis, & adoptetur in numerum filiorum Dei, atque hæres æternæ vitæ scribatur, sine vllis nostris meritis, aut dignitate: & absq; vllis præcedentibus, præsentibus, aut sequentibus nostris operibus, ex mera gratia, tantummodò propter vnicum meritum, perfectissimamq; obedientiam, passionem acerbissimam, mortem, & resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, cuius obedientia nobis ad iustitiam imputatur.

Hæc bona nobis in promissione Euangelij per Spiritum sanctum offeruntur. Fides autem vnicum est medium illud, quo illa apprehendimus, accipimus, nobisq; applicamus. Ea fides donum Dei est, per quòd Christum redemtorem nostrum in verbo Euangelij rectè agnoscimus, & ipsi confidimus: quòd videlicet tantùm propter ipsius obedientiam, ex gratia, remissionem peccatorum habeamus, & iusti à Deo Patre reputemur, & in æternum saluemur. Itaq; hæ propositiones sunt æquipollentes, & idem planè volunt, cùm Paulus dicit: Fide nos iustificari. Aut, fidem nobis ad iustitiam imputari. Et, cùm docet: quòd vnius mediatoris Christi obedientia iustificemur. Aut, quòd per vnius iustitiam in omnes homines iustificatio vitæ veniat. Fides enim non propterea iustificat, quòd ipsa tam bonum opus, tamq; præclara virtus sit, sed quia in promissione Euangelij meritum CHRISTI apprehendit & amplectitur: illud enim per fidem nobis applicari debet, si eo ipso merito iustificari velimus. Itaq; iustitia illa, quæ coram Deo fidei, aut credentibus, ex mera gratia imputatur, est obedientia, passio & resurrectio CHRISTI: quibus ille legi nostra causa satisfecit, & peccata nostra expiauit. Cùm enim Christus non

Rom. 3.
Rom. 4.
Rom. 5.
Ibidem.

tantùm

tantùm homo, verùm Deus & homo sit, in vna persona indiuisa, tàm non fuit legi subiectus, quàm non fuit passioni & morti (ratione suæ personæ) obnoxius: quia DOMINVS legis erat. Eam ob causam ipsius obedientia (non ea tantùm, qua Patri paruit in tota sua passione & morte, verùm etiam, qua nostra causa sponte sese legi subiecit, eamq; obedientia illa sua impleuit) nobis ad iustitiam imputatur: ita vt Deus propter totam obedientiam (quam Christus agendo & patiendo, in vita & morte sua, nostra causa Patri suo cœlesti præstitit) peccata nobis remittat, pro bonis & iustis nos reputet, & salute æterna donet. Hæc iustitia per Euangelion, & in Sacramentis, à Spiritu sancto nobis offertur, & per fidem applicatur, atq; apprehenditur: vnde credentes habent reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, Dei fauorem, adoptionem filiorum, & hæreditatem vitæ æternæ.

Vocabulum igitur IVSTIFICATIONIS in hoc negocio significat, iustum pronunciare, à peccatis & æternis peccatorum supplicijs absoluere: propter iustitiam Christi, quæ à Deo fidei imputatur. Et sanè hic vocabuli illius vsus tàm in Veteri, quàm in Nouo Testamento admodum frequens est. Salomon inquit: Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterq; apud Deum. Isaias væ denunciat illis, qui iustificant impium propter munera, & iustitiã iusti auferunt ab eo. Paulus ait: Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui iustificat: hoc est, qui à peccatis absoluit.

Philip. 3.

Prouer. 17.

Isa. 5.

Roman. 8.

Cùm autem interdum vocabulum REGENERATIONIS pro vocabulo IVSTIFICATIONIS vsurpetur; necesse est, vt illud dextrè & propriè explicetur, ne renouatio, quæ iustificationem sequitur, cum iustificatione fidei confundatur, sed hæc rectè à se inuicem discernantur.

Voca-

Vocabulum enim Regenerationis interdum in eo sensu accipitur: vt simul & remissionem peccatorum (quæ duntaxat propter Christum contingit) & subsequentem renouationem complectatur: quam Spiritus sanctus in illis, qui per fidem iustificati sunt, operatur. Quandoq; etiam solam remissionem peccatorum, & adoptionem in filios Dei significat. Et in hoc posteriore vsu sæpe multumq; id vocabulum in Apologia Confessionis ponitur. Verbi gratia, cùm dicitur: Iustificatio est regeneratio. Sed & Paulus hæc vocabula cum discrimine ponit, cum dicit: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. Quin etiam VIVIFICATIONIS vocabulum interdum ita accipitur, vt remissionem peccatorum notet. Cùm enim homo per fidem (quam quidem solus Spiritus sanctus operatur) iustificatur, idipsum reuera est quædam regeneratio: quia ex filio iræ, fit filius Dei, & hoc modo è morte in vitam transfertur, sicut scriptum est: Cùm essemus mortui in peccatis, conuiuificauit nos in Christo. Et alibi: Iustus fide sua viuet. Et in hac posteriore significatione Apologia vocabulo regenerationis frequenter vti solet.

Tit. 3.

Ephes. 2.
Rom. 1.
Habac. 2.

Deinde etiam REGENERATIO sæpe pro SANCTIFICATIONE & renouatione (quæ fidei iustificationem sequitur) vsurpatur. In qua significatione D. Lutherus hac voce, tum in libro de Ecclesia & concilijs, tum alibi etiam, multùm vsus est.

Quando autem docemus, quòd per operationem Spiritus sancti regeneremur & iustificemur: non ita accipiendum est, quòd iustificatis & renatis nulla prorsus iniustitia (post regenerationem) substantiæ ipsorũ & conuersationi adhæreat; sed, quòd Christus perfectissima obedientia sua omnia ipsorum peccata tegat: quæ quidem in ipsa natura (in hac vita) adhuc infixa hærent. Nihilominus tamen per fidẽ, propter obe-

dientiam

dientiam Christi (quam Christus inde à natiuitate usque ad ignominiosissimam crucis mortem pro nobis Patri suo præstitit) boni & iusti pronunciantur & reputantur: etiamsi ratione corruptæ naturæ suæ adhuc sint maneantque peccatores, dum mortale hoc corpus circumferunt. Sed neque hoc sentimus, quòd liceat nobis absque pœnitentia & vitæ emendatione peccatis frenos laxare, in ijsque perseuerare & subinde pergere.

Oportet enim præcedere veram & non simulatam contritionem. Et qui mera gratia (vt diximus) propter vnicum mediatorem Christum, tantùm per fidem sine omnibus operibus & meritis coram Deo iusti sunt, hoc est, in gratiam Dei recipiuntur: his etiam Spiritus sanctus datur, qui eos renouat atque sanctificat, in ipsis dilectionem erga Deum & proximum operatur. Cùm autem inchoata illa renouatio in hac vita sit imperfecta, & peccatum adhuc in carne, etiam in renatis, habitet: iustitia fidei coram Deo, in gratuita & benignissima imputatione iustitiæ Christi (absque vlla nostrorum operum additione) consistit: quòd, videlicet, peccata nobis remissa & tecta sint, neq; nobis imputentur. *Rom. 4.*

Sed & hoc diligentissimè obseruandum est, si modò articulum de iustificatione sincerum retinere velimus, ne ea, quæ fidem præcedunt, & quæ eam sequuntur, articulo huic, tanquam ad iustificationem necessaria, & ad eam pertinentia, admisceantur aut inferantur. Non enim vnum idemque est de conuersione hominis, & de iustificatione eius agere.

Non omnia illa, quæ ad veram conuersionem requiruntur, etiam ad iustificationem pertinent. Ad iustificationem enim tantùm hæc requiruntur atque necessaria sunt: Gratia Dei, meritum Christi, & fides: quæ hæc ipsa Dei beneficia in promissione Euangelij am-

plectitur: qua ratione nobis Christi iustitia imputatur, vnde remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, adoptionem in filios Dei & hæreditatem vitæ æternæ consequimur.

Quare vera & saluans fides in ijs non est, qui contritione carent, & propositum in peccatis pergendi & perseuerandi habent. Vera enim contritio præcedit, & fides iustificans in ijs est, qui verè, non fictè, pœnitentiam agunt.

Et charitas fructus est, qui veram fidem certissimè & necessariò sequitur. Qui enim non diligit, de eo rectè iudicari potest, quòd non sit iustificatus, sed quòd adhuc in morte detineatur: aut rursus iustitiam fidei amiserit, vt Iohannes testatur. Et quando D. Paulus affirmat, fide nos iustificari, sine operibus: hoc ipso docet, neque præcedentem contritionem, neque sequentia bona opera, ad articulum aut negotium iustitiæ fidei pertinere. Bona enim opera non præcedunt iustificationem sed eam demum sequuntur. Et oportet personam primùm esse iustam, antequam bona opera facere queat.

1. Iohan. 3.

Similiter & renouatio seu sanctificatio, quamuis & ipsa sit beneficium mediatoris Christi, & opus Spiritus sancti, non tamen ad articulum aut negotium iustificationis coram Deo, pertinet: sed eam sequitur. Quia propter carnis nostræ corruptionem, in hac vita imperfecta est, & nondum omnibus numeris absoluta. De hac re eruditè & piè D. Lutherus in præclaro illo suo & copioso super Epistolam ad Galatas commentario ad hunc modum docet: Concedimus de charitate & bonis operibus etiam docendum esse, sed suo tempore & loco, quando scilicet quæstio est de bonis operibus extra hunc articulum, de iustificatione. Hic autem status causæ & caput est, de quo agitur, vt scilicet quæratur, non, an bona opera sint facienda, & caritas exercenda sit, sed qua re iustificemur, & vitam

æternam consequamur. Hic respondemus cum Paulo: sola fide in Christum nos pronunciari iustos, non operibus legis aut charitate. Non quòd opera aut charitatem reijciamus, vt aduersarij nos falsò accusant, sed quòd à statu causæ in alienũ negocium, quod ad hanc quæstionem prorsus non pertinet, abstrahi nos, & implicari nolumus, id quod tamen Satanas maximopere molitur, & quærit. Itaq; cùm iam versemur in loco communi & articulo de Iustificatione, reijcimus & damnamus opera. Is enim locus nequaquam patitur aut admittit disputationem de bonis operibus. Abscindimus igitur hoc proposito simpliciter omnes leges, & omnia opera legis. Hactenus Lutherus.

Quare vt perturbatæ mentes certam, firmamque consolationem habeant: & merito Christi atque gratiæ diuinæ debitus honor tribuatur: docet nos scriptura, iustitiam fidei coram Deo tantummodò consistere in sola clementi & quidem gratuita reconciliatione seu remissione peccatorum: quæ ex mera gratia, propter solum Christi mediatoris meritum, nobis donatur: & per solam fidem, in promissione Euangelij, apprehenditur. Ad eundem modum etiam fides illa in iustificatione coram Deo, neque contritione, neque dilectione, alijsue virtutibus, sed solo Christo confidit: & in Christo, ipsius perfectissima obedientia (qua pro nobis legem impleuit) nititur; quæ obedientia credentibus ad iustitiam imputatur.

Et quidem neque contritio, neque dilectio, neque vlla alia virtus, sed sola fides est illud vnicum medium & instrumentum, quo gratiam Dei, meritum Christi, & remissionem peccatorum (quæ bona nobis in promissione Euangelij offeruntur) apprehendere & accipere possumus.

Rectè etiam dicitur: quòd credentes, qui per fidem in Christum iustificati sunt, in hac vita primùm qui-

dem imputatam fidei iustitiam, deinde verò etiam inchoatam iustitiam nouæ obedientiæ, seu bonorum operum, habeant. Sed hæc duo non inter se permiscenda, aut simul in articulum de iustificatione fidei coram Deo, ingerenda sunt. Cùm enim inchoata illa iustitia seu renouatio in nobis, propter carnem, in hac vita imperfecta sit & impura: eius iustitiæ ratione persona coram Dei iudicio consistere non potest. Sola autem iustitia obedientiæ, passionis, & mortis Christi, (quæ fidei imputatur) coram iudicio Dei stare potest: ita quidem, vt tantùm propter hanc obedientiam persona (etiam postquam renouata est & multa bona opera habet, atque iam honestè & innocenter viuit) Deo placeat, & accepta, in filium Dei adoptata, atque hæres vitæ æternæ scripta sit.

Rom. 4. Huc referendum est, quod Paulus scribit, Abrahamum coram Deo iustificatum esse, sola fide propter mediatorem, sine operibus, idque non tantùm, cùm *Gen. 15.* primò ab Idolatria conuersus, nulla bona opera haberet: sed etiam cùm posteà per Spiritum sanctum renouatus, multis præclaris bonis operibus ornatus *Heb. 11.* *Rom 4.* esset. Et mouet Paulus quæstionem hanc, in quanam re Abrahami iustitia coram Deo (propter quam Deum clementem habuerit, ipsique placuerit, & acceptus ac hæres regni Dei fuerit) posita & constituta fuerit?

Rom. 4. Respondet autem: Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Sicut & Dauid dicit, beatitudinem hominis (esse) cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus. Quare, etsi conuersi & in Christum credentes habent inchoatam in se renouationem, sanctificationem, dilectionem, virtutes & bona opera; tamen hæc omnia nequaquam possunt aut debent immisceri articulo iustificationis coram Deo: vt re-

dem-

tori Christo honor illibatus maneat: & cum no
tra noua obedientia imperfecta & impura sit, pertur-
bata conscientiæ certa & firma consolatione sese sus-
tentare valeant.

Et hoc ipsum vult D. Paulus, quando in hoc arti-
culo particulas exclusiuas, quibus ex articulo iusti-
tiæ fidei, opera excluduntur, vt sunt hæ (absque o-
peribus, sine lege, sine merito, non nisi ex gratia, gratis,
non ex operibus) tanta diligentia, tantoque zelo vr-
get. Hæ autem exclusiuæ omnes hisce verbis com-
prehenduntur, cùm docemus: sola fide coram Deo
iustificamur & saluamur. Hoc enim modo opera no
stra excluduntur: non quidem ea ratione, quasi vera fi-
des possit existere sine contritione: aut, quasi bona o-
pera non necessariò fidem veram (tanquam certissimi
fructus) sequantur: aut, quasi credentes in Christum
non debeant benè operari. Sed ab articulo IVSTIFI-
CATIONIS coram Deo bona opera excluduntur, ne
negotio iustificationis peccatoris coram Deo, quasi
ad eam rem necessaria, pertinentia, & requisita, inse-
rantur & admisceantur. Et hæc est vera particularum
exclusiuarum in articulo iustificationis sententia: quæ
diligenter & sedulò in hoc articulo retinenda atque
vrgenda est: propter rationes, quas statim subijciemus.

Primùm, vt per illas particulas omnia opera pro- I.
pria, merita, dignitas, gloria, & fiducia omnium ope-
rum nostrorum in articulo iustificationis penitùs ex-
cludantur: ita quidem, vt opera nostra, neque causæ,
neque meriti vllius, in iustificatione, ad quæ Deus in
hoc negotio respiciat, aut quibus nos fidere possimus,
aut debeamus, vel ex toto, vel dimidia aut minima ex
parte, rationem habeant.

Deinde vt hoc officium & hæc proprietas fidei so- II.
lus sit, maneatque, quòd videlicet sola fides & nulla
prorsus alia res, sit illud medium & instrumentum, quo

Dei gratia & meritum Christi, in promissione Euangelij, apprehendatur, accipiatur, nobisq; applicetur: & vt ab hoc applicationis officio atque proprietate charitas, omnesq; aliæ virtutes aut opera penitùs excludantur.

III. Denique has formulas teneamus, vt neque renouatio, neque sanctificatio, virtutes aut bona opera, tanquam forma, aut pars, aut causa iustificationis, aut sub qualicunq; prætextu, titulo aut nomine, articulo iustificationis, tanquam ad eam rem necessaria aut pertinentia immiscoantur: sed vt fidei iustitia tantummodò in remissione peccatorum (ex mera gratia, propter solum Christi meritum) consistat: quæ bona in promissione Euangelij nobis offerantur, & sola fide recipiantur, apprehendantur, nobisq; applicentur.

Eodem modo etiam conseruandus est ordo, inter fidem & bona opera: inter iustificationem, & renouationem, seu sanctificationem.

Bona enim opera non præcedunt fidem: & sanctificatio non præcedit iustificationem. Sed primùm in conuersione per Spiritum sanctum fides ex auditu Euangelij in nobis accenditur. Illa verò apprehendit gratiam Dei in Christo: qua persona iustificatur. Cùm verò persona iam est iustificata, tum etiam per Spiritum sanctũ renouatur & sanctificatur: ex ea verò renouatione & sanctificatione deinceps fructus, hoc est, bona opera, sequuntur. Et hæc non ita diuelluntur, quasi nera fides aliquando, & aliquandiu stare possit cum malo proposito: sed ordine causarum & effectuum, antecedentium & consequentium, ita distribuuntur. Manet enim, quod Lutherus rectè dicit: bene conueniunt & sunt connexa inseparabiliter fides & opera; sed sola fides est, quæ apprehendit benedictionem, sine operibus; & tamen nunquam est sola. De qua re supra satis est dictum.

Ac multæ sanè disputationes hac vera & solida distinctione vtiliter & dextrè explicari possunt: quam etiam Apologia, cum agit de dicto (Iacobi 2.) affert. Quando enim de fide agitur, quomodo, videlicet, ea iustificet, hæc est ea de re D. Pauli doctrina, quòd sola fides, sine operibus, iustificet: quatenus nobis Christi meritum, vt diximus, applicat & communicat. Quando verò quæritur, qua in re, & quonam indicio homo Christianus, vel in seipso, vel in alijs hominibus, veram & viuam fidem, item simulatam & mortuam fidem, agnoscere & discernere possit: (cùm multi torpentes & securi Christiani sibi opinionem quandam, loco fidei imaginentur, cùm tamen veram fidem non habeant:) de hac re Apologia sic respondet: Iacobus eam vocat mortuam fidem, quam non omnis generis bona opera, & fructus Spiritus sequuntur. Et in hanc sententiam etiam latina Apologia loquitur. Iacobus rectè negat, nos tali fide iustificari, quæ est sine operibus, hoc est, quæ est mortua.

Iacobus autem (vt Apologia docet) agit de eorum operibus, qui per Christum iam sunt iustificati, cum Deo reconciliati, & per Christum remissionem peccatorum sunt consecuti. Cùm verò quæritur, vnde fides hoc habeat, & quid requiratur, vt iustificet & saluet, tum falsum erit, si quis dicat, fidem non posse iustificare sine operibus: vel, fidem, quatenus charitatem, qua formetur, coniunctam habet, iustificare: vel, fidei, vt iustificet, necessariam esse præsentiam bonorum operum, aut ad iustificationem: vel, in articulo iustificationis esse necessariam præsentiam bonorum operum: vel, bona opera esse causam, sine qua non: quæ per particulas exclusiuas ex articulo iustificationis non excludantur. Fides enim tantùm eam ob causam iustificat, & inde vim illam habet, quòd gratiam

Dei, & meritum Christi in promissione Euangelij (tanquam medium & instrumentum) apprehendit & amplectitur.

Et hæc quidem, pro ratione compendiariæ explicationis articuli de iustificatione, sufficiant, qui articulus in scriptis suprà nominatis copiosiùs tractatur. Ex his autem, quæ iam dicta sunt, facilè intelligi potest, nō modò suprà commemoratos errores, verùm etiam ea falsa dogmata, quæ iam recitabimus, redarguenda, repudianda & reijcienda esse.

I. Quòd dilectio nostra, seu bona opera, sint meritum vel causa nostræ coram Deo iustificationis: aut ex toto, aut saltem ex aliqua parte.

II. Quòd homo bonis operibus suis se præparare debeat, vt dignus fiat applicatione & communicatione meritorum Christi.

III. Formalem nostram iustitiam coram Deo esse inhærentem nostram nouitatem seu charitatem.

IIII. Quòd iustitia fidei coram Deo duabus partibus constet: remissione peccatorum, & renouatione seu sanctificatione.

V. Fidem iustificare tantùm initialiter, vel partialiter, vel principaliter: & nouitatem vel charitatem nostram iustificare etiam coram Deo, vel completiuè, vel minùs principaliter.

VI. Credentes coram Deo iustificari, vel coram Deo iustos esse, simul & imputatione & inchoatione: vel, partim imputatione iustitiæ Christi, partim inchoatione nouæ obedientiæ.

VII. Applicationem promissionis gratiæ fieri & fide cordis, & confessione oris, & reliquis virtutibus.

Sed & hic error reijciendus est, cùm docetur: hominem alio modo, seu per aliquid aliud SALVARI, quàm per id, quo coram Deo IVSTIFICATVR; ita vt sine operibus per solam quidem fidem coram

Deo

Deo iustificemur: sed tamen absq; operibus salutem æternam consequi impossibile sit.

Hoc ideo falsum est, quia è diametro pugnat cum dicto Pauli: Beatitudo hominis est, cui Deus iustitiam imputat, sine operibus. Et hoc est fundamentum Paulinæ disputationis, quòd eodem prorsus modo, & iustitiam, & salutem consequamur. Imò, quòd eo ipso, cùm fide iustificamur, simul etiam adoptionem in filios Dei, & hæreditatem vitæ æternæ atq; salutem adipiscamur. Eamq; ob causam Paulus particulas illas exclusiuas, id est, eiusmodi voces, quibus opera, & propria merita prorsus excluduntut, videlicet (ex gratia, sine operibus, & similes) non minùs constanter & grauiter in articulo SALVTIS, quàm in articulo IVSTIFICATIONIS nostræ vrget. *Roman. 4.*

Præterea, etiam disputatio illa de inhabitatione essentialis iustitiæ Dei in nobis, rectè declaranda est. Etsi enim Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, (qui est æterna & essentialis iustitia) per Fidem in electis, qui per Christum iustificati, & cum Deo reconciliati sunt, habitat: (omnes enim verè pij sunt templa Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti: à quo etiam ad rectè agendum impelluntur:) tamen hæc inhabitatio Dei non est iustitia illa fidei, de qua Paulus agit, eamq; iustitiam Dei appellat: propter quam coram Deo iusti pronunciamur. Sed inhabitatio Dei sequitur antecedentem fidei iustitiam: quæ nihil aliud est, quàm remissio peccatorum, gratuita acceptatio peccatoris, propter solam obedientiam, & meritum perfectissimum vnius Christi.

Cùm igitur in Ecclesijs nostris apud Theologos Augustanæ Confessionis extra controuersiam positum sit: totam iustitiam nostram extra nos, & extra omnium hominum merita, opera, virtutes, atq; dignitatem quærendam, eamq; in solo Domino nostro Iesu

Christo consistere: dextrè considerandum est, qua ratione Christus, in negocio iustificationis, nostra iustitia dicatur. Nempe, quòd iustitia nostra neq; in diuina neq; in humana natura, sed in tota ipsius persona consistat: quippe qui vt DEVS & homo IN SOLA SVA, TOTA, ET PERFECTISSIMA OBEDIENTIA est nostra IVSTITIA.

Etiamsi enim Christus de Spiritu sancto quidem sine peccato conceptus & natus esset, & in sola humanitate sua omnem iustitiam impleuisset, nec tamen verus & æternus Deus fuisset: talis tamen ipsius humanæ naturæ obedientia & passio nobis ad iustitiam imputari non posset. Et vicissim, si filius Dei non homo factus esset, non posset sola diuina natura nostra esse iustitia. Quare credimus, docemus, & confitemur, quòd tota TOTIVS personæ Christi OBEDIENTIA, quam ille Patri vsq; ad ignominiosissimam crucis mortem, nostra causa, præstitit, nobis ad iustitiam imputetur. Humana enim natura sola, sine diuinitate, æterno, omnipotenti Deo, neque obedientia neque passione, pro TOTIVS MVNDI peccatis satisfacere valuisset. Diuinitas verò sola, sinè humanitate, inter Deum & nos, mediatoris partes implere non potuisset.

Cùm autem, vt suprà commemoratum est, obedientia illa Christi, non sit vnius duntaxat naturæ, sed totius personæ, ideò ea est perfectissima pro humano genere satisfactio & expiatio: qua æternæ & immutabili iustitiæ diuinæ (quæ in lege reuelata est) satis est factum. Ea obedientia est illa nostra iustitia, quæ coram Deo valet, & in Euangelio reuelata seu monstrata nobis est: qua fides nostra coram Deo nititur: quam iustitiam Deus fidei imputat, vt scriptum est: Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam iusti constituen-

Rom. 5.

tur

ur multi. Et Iohannes inquit: Sanguis Iesu Christi, filij Dei, emundat nos ab omni peccato. Item, Iustus fide sua viuet. 1. Iohan. 1. Rom. 1. Habac. 2.

Hac ratione nobis neq; diuina neq; humana Christi natura (per se) ad iustitiam imputatur: sed sola obedientia illius personæ, quæ simul Deus est, & homo. Et hoc modo fides nostra respicit in personā Christi: quatenus illa pro nobis legi sese subiecit, peccata nostra pertulit, & cùm ad Patrem suum iret, solidam, absolutam, & perfectissimam obedientiam (iam inde à natiuitate sua sanctissima, vsque ad mortem) Patri suo cœlesti pro nobis miserrimis peccatoribus præstitit. Qua sua obedientia omnem nostram inobedientiam (quæ in nostra natura, & huius cogitationibus, verbis, & operibus hæret) texit: vt ea nobis ad damnationem non imputetur, sed ex mera gratia, propter solum Christum, condonetur atq; remittatur.

Reijcimus igitur atq; vnanimi consensu damnamus, præter suprà commemoratos errores, etiam sequentes & omnes alios hisce similes: quippe qui verbo Dei, Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ, & piæ nostræ religioni repugnant.

Quòd Christus sit iustitia nostra coram Deo, tantùm secundùm diuinam naturam. I.

Quòd Christus nostra sit iustitia duntaxat secundùm humanam naturam. II.

Quòd in Prophetarum & Apostolorum dictis (vbi de iustitia fidei agitur) vocabula (IVSTIFICARE, & IVSTIFICARI) non significent à peccatis absoluere, & remissionem peccatorum consequi, sed propter infusam (per Spiritum sanctum) charitatem, virtutes & opera, quæ inde promanant, reipsa & reuera iustos effici. III.

Quòd fides non respiciat tantùm obedientiam Christi, sed diuinā ipsius naturam: quatenus, videlicet, IIII.

eam

ea in nobis habitet & operetur: & quòd per hanc inhabitationem, nostra coram Deo peccata tegantur.

V. Quòd fides sit talis in obedientiam Christi fiducia, quæ existere & manere possit in eiusmodi homine, qui non verè pœnitentiam habeat, & qui caritate sit vacuus, & in peccatis contra conscientiam perseueret.

VI. Quòd non Deus ipse, sed dona Dei duntaxat in credentibus habitent.

Hos errores, hisq; similes: omnes vnanimiter reijcimus: quia verbo Dei clarissimo repugnant. Et per Dei gratiam constantes perseueramus in doctrina sincera, de iustificatione fidei coram Deo: vt ea in Augustana Confessione, eiusq; Apologia perspicuè proposita, explicata, & verbo Dei munita est.

Quòd præterea ad copiosiorem huius ardui & præcipui articuli iustificationis coram Deo (in quo nostra salus vertitur) explicationem requiritur, de eo præclarum D. Lutheri commentarium in Epistolam Pauli ad Galatas, ab vnoquoque consuli & diligenter legi monemus, ad quem breuitatis studio, hoc loco nos referimus.

IIII.
DE BONIS OPERIBVS.

DISSIDIVM porrò ortum est inter quosdam Theologos Augustanæ Confessionis, de bonis operibus. Alij enim has propositiones vsurpârunt: Bona opera sunt necessaria ad salutem: Impossibile est sine bonis operibus saluari: Nemo vnquam sine bonis operibus est saluatus: Quandoquidem à verè credentibus bona opera, vt fructus fidei requirantur: & fides sine charitate mortua sit: etiamsi charitas non sit causa nostræ salutis.

Alij

Alij verò hoc dogma impugnârunt, atq; docuerunt, quòd bona opera necessaria quidem sint: sed non ad salutem: verùm propter alias causas. Et affirmârunt paulò antè recitatas propositiones in Ecclesia Dei non esse ferendas: propterea quòd formæ sanorum verborum & piæ doctrinæ non sint conformes: & quòd Papistæ cùm antea semper, tùm verò inprimis nostro seculo eas propositiones opposuerint piæ nostræ doctrinæ: qua asserimus, sola fide nos iustificari & saluari. Itaque eas reijciendas iudicârunt: ne meritum Christi seruatoris nostri extenuetur: & vt promissio de salute nostra, credentibus certa sit, & firma maneat.

In hoc dissidio quidam pauci hanc propositionem (quæ & ipsa controuersiæ occasionem dedit) attulerunt: Bona opera ad salutem esse perniciosa. Sed & à quibusdam disputatum fuit: quòd bona opera non necessaria, sed libera & spontanea sint, propterea quòd non metu & comminationibus Legis extorqueantur, sed spiritu spontaneo, & alacri mente fieri debeant. Alij verò asseruerunt: bona opera esse necessaria.

Hæc posterior controuersia initiò tantùm ex æquiuocatione vocabulorum (necessitatis & libertatis) occasionem sumsit: quòd vocabulum necessitatis non tantùm immutabilem & æternum ordinem diuinum (quo omnes homines ad obediendum Deo debitores sunt, & adstricti) verùm etiam interdum coactionem, qua lex homines ad bona opera seuerè vrget, designet.

Progressu autem temporis non iam de verbis ampliùs disputatum, sed de rebus ipsis magna vehementia fuit disceptatum. Et à quibusdam acriter pugnatum est: nouam obedientiam in renatis (quam suprà commemoratus ordo diuinus requirit) non esse necessariam.

Vt au-

Vt autem & hoc dissidium, iuxta verbi Dei analogiam piè declaretur, & per Dei gratiam prorsus componatur, doctrinam, fidem, & confessionem nostram de hoc negocio recitabimus.

PRIMÒ, in hoc articulo nulla est inter nostros dissensio, de his propositionibus, Quòd, videlicet, Dei voluntas & ordinatio sit atq; mandatum, vt credentes in bonis operibus ambulent. Quòd ea non sint verè bona opera, quæ quisq; bona intentione ipsemet excogitat, aut quæ secundùm humanas traditiones fiunt: sed ea, quæ Deus ipse in verbo suo præscripsit atq; præcepit. Quòd verè bona opera non proprijs naturalibus viribus, sed tùm demum fiant, cùm persona per fidem cum Deo est reconciliata, & per Spiritum sanctum renouata, & in Christo Iesu (vt Paulus loquitur) denuò ad bona opera, creata est.

Ephes. 2.

Sed & hoc extra controuersiam est, quomodo, & qua de causa, bona credentium opera (licèt in hac carne nostra impura & imperfecta) Deo placeant & accepta sint: videlicet, propter Dominum nostrum Iesum Christum, per fidem: propterea quòd persona Deo accepta est. Etsi enim opera illa, quæ ad conseruandam externam disciplinam faciunt (qualia etiam ab infidelibus & non ad Deum conuersis hominibus fiunt, & quidem requiruntur) suam, coram mundo, dignitatem & laudem habent; & temporalibus quibusdam præmijs, in hoc mundo, à Deo ornantur: attamen, cùm non ex vera fide proficiscantur, reuerà coram Deo sunt peccata, hoc est, peccatis contaminata: & à Deo pro peccatis & immundicia reputantur: propter naturæ humanæ corruptionē, & quia persona cum Deo non est reconciliata. Mala enim arbor nō potest bonos fructus ferre. Et in ea, quæ ad Romanos scripta est, legitur: Quicquid non ex fide est, peccatum est. Necesse est enim, vt persona Deo antea placeat, idq; propter solum

Rom. 14.

Chri-

Christum, si modò personæ illius opera Deo placere & accepta esse debent.

Quare eorum operum, quæ reuerà bona sunt, & Deo placent, quæ etiam Dominus, tùm in hoc, tùm in futuro seculo vult remunerari, mater & fons est IPSA FIDES: vnde & veri fructus fidei, sicut & fructus Spiritus à D. Paulo appellantur, Fides enim (quemadmodum D. Lutherus in præfatione Epistolæ Pauli ad Romanos scribit) est diuinum quoddam opus in nobis, quod nos immutat, ex Deo regenerat, veterē Adamum mortificat, & ex nobis planè alios homines (in corde, animo, & omnibus viribus nostris) facit, & Spiritum sanctum nobis confert. Et est fides illa quiddam viuum, efficax, potens: ita vt fieri non possit, quin semper bona operetur. Neq; fides quærit demum, an bona opera sint facienda, sed priusquam de ea re inquiratur, iam multa bona opera effecit, & semper in agendo est occupata. Qui verò non ad hunc modum bene operatur; is homo vera fide caret: & vbi sit fides, vbi bona opera, quasi cæcus palpando quæritat, neq; tamen, quid fides, aut bona opera sint, nouit: interim tamen multa ineptè de fide & bonis operibus garrit & nugatur. Fides iustificans est viua & solida fiducia in gratiam seu clementiam Dei, adeò certa, vt homo millies mortem oppetere, quàm eam fiduciam sibi eripi pateretur. Et hæc fiducia atque agnitio diuinæ gratiæ & clementiæ, lætos, animosos, alacres efficit, cùm erga Deum, tum erga omnes creaturas: quam lætitiam & alacritatem Spiritus sanctus excitat per fidem. Inde homo sine vlla coactione promptus & alacris redditur, vt omnibus benefaciat, omnibus inseruiat, omnia toleret: idq; in honorem & laudem Dei, pro ea gratia, qua Dominus eum est prosecutus. Itaq; impossibile est, bona opera à fide vera separare: quemadmodum calor vrens & lux ab igne separari non potest.

Quia

Quia verò de hac re inter nostros non est controuersia, nolumus esse nunc prolixiores: sed tantùm de ijs rebus, quæ in controuersiam venerunt, quanta fieri potest, simplicitate & perspicuitate mentem nostram declarabimus.

Quod igitur ad Necessitatem aut libertatem bonorum operum attinet, negari non potest, quòd in Augustana Confessione, eiusdemq; Apologia hæc verba sæpe vsurpentur atq; repetantur: Bona opera esse necessaria: &, quòd necesse sit bona opera facere: quia necessariò fidem & reconciliationem cum Deo sequi debent: &, quòd necessariò ea opera, quæ Deus præcepit, à nobis sint facienda. Sed & sacræ literæ vocabulis (necessitatis, necessarij, debiti, debemus, oportet, &c.) vtuntur, quoties de ijs rebus agunt, quas ratione mandati, ordinationis & voluntatis diuinæ præstare tenemur.

Rom. 13. 1. *Cor.* 5. *Actor.* 5. *Iohan.* 15. 1. *Iohan.* 4.

Quare propositiones hæ (bona opera esse necessaria: & necesse esse, bene agere) in commemorata pia & genuina sententia, immeritò à quibusdam reprehenduntur & reijciuntur. Hæ enim retinendæ atq; vrgendæ sunt ad redarguendam atq; refutandam securitatis Epicureæ opinionem, qua multi fidem mortuam, aut persuasionem quandam vanam, quæ sine pœnitentia & bonis operibus est, pro vera fide falsò habent: quasi scilicet, in vno eodemque corde simul stare possint, vera fides, & malum propositum in peccatis perseuerandi & progrediendi: quod tamen prorsus est impossibile: aut, quasi aliquis veram fidem, iustitiam & salutem habere ac retinere valeat, etiamsi arbor putrida & infrugifera sit maneatque, neque vllos bonos fructus ferat: imò, quamuis in peccatis contra conscientiam perseueret, aut rursus destinata malitia in scelera priora relabatur. Hæc falsa & impia sunt. Interim tamẽ de hoc etiã discrimine cõmonefactio obseruanda

est,

est, q̃ per vocabulũ Necessitatis intelligẽda sit necessitas ORDINIS, mandati, & volũtatis CHRISTI, ac desiderij nostri, nõ autem necessitas coactionis. Vult enim mandatũ Dei, vt creatura suo Creatori obediat. In alijs enim quibusdam scripturæ locis vocabula (ex necessitate) de ijs rebus accipiuntur, quæ homini præter voluntatem eius, coactione quadam aut aliâs extorquentur, vt externè, & quidem in speciem, sed tamen contra suam voluntatem aliquid faciat. Talia enim hypocritica opera Deus non probat; sed vult, vt populus Noui Testamenti sit populus spontaneus: & vt spontanea sacrificia offerat: atque obedientiam non inuitus aut coactus, sed ex animo præstet. Hilarem enim datorem diligit Dominus. In hanc sententiam rectè dicitur atque docetur; quòd verè bona opera sponte, libero spiritu ab ijs, quos filius Dei liberauit, fieri debeant: quemadmodum etiam disputatio illa, de libertate bonorum operum, præcipuè ad hanc sententiam confirmandam à quibusdam agitata est.

2. Cor. 9. ad Philemonem. 1. Pet. 5. Psal. 110. Psal. 54. 2. Cor. 9. Roman. 6. 2. Cor. 8.

Hic autem etiam discrimen hoc obseruandum est, de quo Paulus loquitur: Delector lege Dei (promtus sum ad bene agendum) secundùm interiorem hominem, Sed in carne mea legem aliam reperio, quæ nõ modò inuita & ad bene operandum difficilis est, verùm etiam legi mentis meæ repugnat. Et quod ad illam rebellem & difficilem carnem nostram attinet, ea de re Paulus sic ait: CASTIGO corpus meum, & IN SERVITVTEM REDIGO, &c. Et: qui sunt Christi, carnem suam CRVCIFIXERVNT, imò mortificârunt, cum vitijs & concupiscentijs. Contrà autem opinio falsa redarguenda & reijcienda est, cùm docetur: bona opera ita esse libera homini Christiano, vt in eius libero arbitrio positum sit, ea vel facere, vel omittere: aut, licèt contra legem Dei

Rom. 7. 1. Cor. 9. Galat. 5. Roman. 8.

peccetur, nihilominus tamen, fidem, Dei gratiam atq; fauorem retinere posse.

Deinde, cùm doceturs Bona opera necessaria esse, etiam hoc explicandum est, quare, quibusque de causis ea sint necessaria: quæ causæ in Augustana Confessione eiusq; Apologia recitantur.

Interim tamen diligenter in hoc negotio cauendum est, ne bona opera articulo Iustificationis & salutis nostræ immisceantur. Propterea meritò hæ propositiones reijciuntur: bona opera fidelibus necessaria esse ad salutem; ita vt impossibile sit, sine bonis operibus saluari: quia simpliciter pugnant cum doctrina de particulis exclusiuis in articulo iustificationis & saluationis: quibus particulis D. Paulus opera & merita nostra, ab articulo iustificationis & salutis nostræ, penitus exclusit, & omnia soli gratiæ atq; clementiæ diuinæ, & Christi merito adscripsit: quemadmodum superius declarauimus. Et propositiones illæ (de necessitate bonorum operum ad salutem) perturbatis & afflictis conscientijs veram Euangelij consolationem eripiunt: occasionem præbent dubitationi de gratia Dei: multis modis sunt periculosæ: præsumtionem & falsam opinionem de propria iustitia, & fiduciam propriæ dignitatis confirmant: à Papistis acceptantur, & ad ipsorum malam causam fulciendam (contra sinceram doctrinam de sola fide saluante) adducuntur. Quin etiam formæ sanorum verborum repugnant: cùm scriptum sit: Beatitudinem tantùm esse hominis, cui Deus imputat iustitiam, sine operibus. Et in Confessione Augustana Articulo sexto scriptum legimus: Saluari nos sine opere, SOLA FIDE. Sed & D. Lutherus has propositiones reiecit atq; damnauit:

Rom. 4.

I. Primò quidem in falsis Apostolis, qui Galatas in errorem induxerant.

II. Deinde in Papistis, multis admodum locis.

Postea

Posteà, etiam in Anabaptistis: qui hanc interpretationem adferunt, quòd fides quidem non debeat mi- III.
ni meritis operum: sed tamen ea necessariò ad salutem
requiri.

Postremò in quibusdam alijs, suis hominibus, qui IIII.
hanc, vt loquuntur, glossam in medium adducebant:
si maximè, dicebant, bona opera tanquam ad salutem *In commentario suo super Genesin cap. 22.*
necessaria requiramus, tamen non docemus, quòd bo-
nis operibus sit confidendum.

Quare & ex iam commemoratis causis in Ecclesijs
nostris meritò hoc ratum, certum & fixum esse debet:
quòd phrases seu propositiones illæ, de bonis operi-
bus ad salutem necessarijs, non sint docendæ, defen-
dendæ, pingendæ, sed potiùs ex Ecclesijs nostris, vt
illæ & non sinceræ explodendæ atque reijciendæ:
quippe quæ tempore persecutionis (vbi clara & per-
spicua confessione aduersus omnis generis corrupte-
las & deprauationes articuli iustificationis maximè o-
pus erat (ex Interreligionis formula renouatæ, prema- *Interim.*
nârint, atq; denuò disputationibus nouis occasionem
præbuerint.

POSTEA, cùm de eo etiam disputatur: an bona o-
pera salutem conseruent: aut, num ad retinendam aut
conseruandam fidem, iustitiam & salutem sint necessa-
ria: diligenter & accuratè declarandum est, qua ratio-
ne iustitia & salus in nobis conseruentur, ne rursus a-
mittantur. Scriptum est enim: qui perseuerauerit vsq;
ad finem, saluus erit. Et Apostolus ait: Participes *Hebr. 3.*
Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ vsq;
ad finem firmum retinuerimus.

Et quidem in primis falsa & Epicuræa illa opinio
grauiter redarguenda atq; reijcienda est, quòd quidam
fingunt, fidem & acceptam iustitiam atque salutem,
nõ posse vllis peccatis aut sceleribus (tametsi omnia

voluntariè & destinata malitia mala opera perpetrentur) amitti: sed etiamsi homo absq; omni Dei timore & pudore prauis suis concupiscentijs indulgeat, Spiritui sancto repugnet, & atrocia flagitia cõtra conscientiam suam (& quidem malo proposito) designet, nihilominus tamen fidem, gratiam Dei, iustitiam atq; salutem retineri posse.

Contra hanc pestilentissimam persuasionem, singulari diligentia hæ verissimæ, immotæ, diuinæ comminationes, pœnæ, & admonitiones Christianis, per fidem iustificatis, sæpe repetendæ atq; inculcandæ sunt. Nolite errare: neque fornicarij, neque adulteri, neq; auari, &c. regnum Dei possidebunt. Et alibi: Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Et ad Romanos: Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Et: Propter talia venit ira Dei super filios incredulitatis.

Galat. 5. Ephes. 5. Rom. 8. Colos. 3.

Quando autem & qua ratione ex hoc fundamento exhortationes ad bona opera (absque obscuratione doctrinæ de fide, & articuli de iustificatione) acpi possint: Apologia luculentum eius rei exemplar depingit, vbi capite XX. super verba Petri (Satagite vocationem vestram firmam facere) hæc verba habet: Petrus docet, quare sint bona opera facienda, scilicet, vt sit firma vocatio, hoc est, ne vocatione sua excidant, si iterum peccent. Facite (inquit) bona opera, vt perseueretis in vestra cœlitus vobis iniuncta vocatione, ne rursum deficiatis, & amittatis Spiritum ac dona, quæ priùs contigerunt, non propter sequentia opera, sed ex gratia, per Christum, & iam RETINENTVR FIDE. At fides non manet in his, qui prauam vitam agunt, & amittunt Spiritum sanctum, & abijciunt pœnitentiam. Hactenus Apologia.

2. Pet. 1.

E contrario autem non est sentiendum, quòd fides initio tantùm iustitiam & salutem apprehendat, posteà verò officium suum operibus resignet, vt ea deinceps

fidem,

fidem, apprehensam iustitiam, & salutem conseruare debeant. Vt enim nobis promissio de iustitia & salute nostra non modò consequenda, verùm etiam retinenda, certa & firma esse possit: Paulus non tantùm aditum ad gratiam, verùm etiam, quòd in gratia perseueramus, & de futura gloria gloriamur (hoc est, initium, medium & finem) SOLI FIDEI adscribit. Et alibi ait: Propter incredulitatem suam defracti sunt: tu autem FIDE STAS: Et ad Colossenses inquit: Exhibebit vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram seipso: si tamen permanetis IN FIDE fundati & stabiles, &c. Et Petrus ait: In virtute Dei custodimini PER FIDEM in salutem. Et: Reportabitis finem fidei vestræ, salutem animarum.

Rom. 5.

Rom. 11.

Coloss. 1.

1. Pet. 1.

Cùm igitur ex sacrarum literarum testimonijs manifestum sit, quòd fides proprium & vnicum illud medium sit, quo iustitia & salus non modò apprehenduntur, verùm etiam à Deo conseruantur: meritò reijciendum est Tridentinæ Synodi Decretum (& si quid alibi in eam sententiam fuit propositum:) quòd videlicet, bona nostra opera salutem conseruent: aut, quòd apprehensa fidei iustitia, aut fides ipsa, per nostra opera, vel ex toto, vel saltem ex parte retineantur, ac conseruentur.

Etsi enim ante motam hanc controuersiam multi sinceri doctores eiusmodi phrasibus in explicatione sacræ scripturæ vsi sunt; non autē eo animo, quòd commemoratos Papistarum errores confirmare vellent, tamen cùm interea de eiusmodi phrasibus disceptationes, scandala, & distractiones variæ exortæ sint, longè tutissimum est (iuxta Pauli admonitionem) formam sanorum verborum nō minori diligentia, quam ipsam sinceram doctrinā, firmiter retinere: qua ratione multis non necessarijs concertationibus ansa præciditur, & multa in Ecclesia Dei offendicula præcauentur.

PRAETEREA, quod ad propsitionem illam attinet: Bona opera ad salutem esse perniciosa; sententiam nostram perspicuè exponemus. Si quis bona opera articulo iustificationis immiscere, iustitiam suam, aut fiduciam salutis suæ in ea reponere, gratiã Dei ijs promereri, & per ea salutem consequi velit: respondemus, non quidem nos, sed D. Paulus ipse, idq; tertio repetit: quòd tali homini opera sua non tantùm sint inutilia, atq; ad salutem impedimento, verùm etiam pernitiosa sint. Culpa tamen non est bonorum operum per se, sed vanæ fiduciæ, quæ contra expressum Dei verbum in opera collocatur.

Philip. 3.

Inde tamen haudquaquam consequitur, quòd simpliciter, & nudè asserere liceat: Bona opera credentibus ad salutem esse perniciosa. Bona enim opera in credentibus (cùm propter veras causas fiunt, & ad veros fines, sicuti ea Deus à renatis exigit, referuntur) indicia sunt æternæ salutis. Siquidem hæc est voluntas, & hoc expressum Dei mandatum, vt credentes bona opera faciant: quæ Spiritus sanctus in credentibus operatur: eaque Deus Pater, propter Christum accepta & grata habet, & præclara illis præmia, huius & futuræ vitæ, promittit.

Philip. 1.

Eam ob causam etiam paulò antè commemorata propositio in Ecclesijs nostris reprehenditur & reijcitur, propterea, quòd ita nudè vsurpata, falsa est, & offendiculi plena: qua disciplina & morum honestas labefactantur, dissolutæ verò & Epicureæ feræ vitæ ianua aperitur, & confirmatur. Ab ea enim re, quæ alicui ad animæ suæ salutẽ pernitiosa creditur, abstinendum & cauendum esse omnes iudicant.

Cùm verò Christiani à bonis operibus non deterrendi, sed potiùs quàm diligentissimè ad ea adhortandi sint: profectò nuda ista propositio in Ecclesia Christi tolerari non potest, nec defendenda est.

V.
DE LEGE ET EVANGELIO.

CVM discrimen Legis & Euangelij magnam & clarissimam lucem sacris literis adferat, cuius adminiculo verbum Dei rectè secari, & Prophetica atque Apostolica scripta dextrè explicari atq; intelligi possunt: accurata diligentia illud est in Ecclesia conseruandum atque retinendum, ne hæc duo doctrinarum genera inter se commisceantur: aut Euangelion in Legem transformetur. Ea enim ratione meritum Christi obscuraretur: & conscientiis perturbatis dulcissima consolatio (quam in Euangelio Christi, sincerè prædicato, habent, qua etiam sese in grauissimis tentationibus aduersus legis terrores sustentant) prorsus eriperetur.

Orta est autem etiam de hoc ipso negotio quædam inter aliquos Augustanæ Confessionis Theologos controuersia. Vna enim pars asseruit: Euangelion PROPRIE non esse tantùm doctrinam de gratia Dei, verùm etiam esse simul concionem pœnitentiæ: quæ summum peccatum, videlicet, incredulitatem, redarguit. Altera verò pars contrariam sententiam propugnauit: quòd, nimirum, Euangelion propriè non sit concio pœnitentiæ, arguens peccatum (hoc enim Legis Dei proprium esse officium, arguere omnia peccata atque ita etiam incredulitatem:) sed Euangelion propriè esse prædicationem, de gratia & clementia Dei, propter Christum: per quem conuersis ad Christum, incredulitas (in qua antea hæserant, quam etiam Lex Dei redarguerat) condonetur atq; remittatur.

Cùm autem de hoc dissidio diligenter cogitamus,

deprehenditur, inde adeò illud exortum esse, quòd vocabulum Euangelij non semper in vna eademque significatione accipiatur: sed duobus modis, tum in sacris literis, tum in veterum ac neotericorum scriptis vsurpetur & accipiatur. Vno enim modo totam Christi doctrinam significat, quam ministerio suo in his terris proposuit, & in quo testamento proponendam præcepit, & hac ratione Christus Legis explicationem & annunciationem clementiæ & gratiæ Dei patris sui cœlestis est complexus, sicut Marci primo scriptum est: Initium Euangelij Iesu Christi, filij Dei, &c.

Marc. 1. Et paulò pòst: capita totius doctrinæ cœlestis præcipua recitantur: videlicet, pœnitentia & remissio peccatorum. Ad eundem modum, cùm Christus post re-

Marc. 16. surrectionem suam Apostolis præciperet, vt prædicarent Euangelion in vniuerso terrarum orbe, totius doctrinæ suæ summam breuissimis comprehendit, in-

Luc. 24. quiens: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionē peccatorum,

Actor. 20. in omnes gentes. Et sic etiam Paulus totam suam doctrinam vocat, Euangelion: summam autem suæ doctrinæ distribuit in hæc duo præcipua capita: in pœnitentiam erga Deum, & fidem in Christum. Et in hoc sensu generalis illa definitio Euangelij (cùm latè accipitur, & extra discrimen Legis & Euangelij vsurpatur) vera est, cum dicit: Euangelion est concio de pœnitentia, & de remissione peccatorū. Etenim Iohannes Baptista, Christus, & Apostoli prædicationē suā à pœnitentia sunt exorsi: & ita non tantùm promissionem illam dulcissimam de imēnsa Dei gratia, atq; peccatorum remissione, proposuerunt: verùm etiam Legem Dei explicuerunt atque vrserunt. Deinde vocabulum Euangelij in alia, & quidem proprijssima sua significatione vsurpatur: & tum non concionē de pœnitentia,

sed

sed tantùm prædicationem de clementia Dei complectitur, vt statim Marci 1. sequitur, cùm Christus inquit: Pœnitentiam agite, ET credite Euangelio. *Marc. 1.*

Sed & Pœnitentiæ vocabulum in sacris literis non semper vnam eandemq; significationem habet. Quibusdam enim sacræ scripturæ locis pro tota hominis cõuersione ad Deum, sumitur. Verbi gratia, cùm Christus inquit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et alibi: Gaudium erit super vno peccatore pœnitentiam agente, &c. At in Marco (quod testimonium paulò antè attulimus) & alibi, vbi distinctè ponuntur, pœnitentia, & fides in Christum: aut, pœnitentia, & remissio peccatorum: pœnitentiam agere nihil aliud significat, quàm, peccata verè agnoscere, seriò dolere, à peccatis in posterum abstinere: ea verò peccatorum agnitio ex LEGE est, & ad salutarem conuersionem ad Deum non sufficit, si non fides in Christum accedat: cuius meritum dulcissima & consolationis plena Euangelij doctrina, omnibus resipiscentibus peccatoribus offert, qui per concionem legis perterriti & prostrati erant. Euangelion enim remissionem peccatorum non securis mentibus, sed perturbatis, & verè pœnitentibus annunciat. Et ne contritio & terrores legis in desperationem vertantur, opus est prædicatione Euangelij, vt sit pœnitentia ad salutẽ.

Luc. 13.
Luc. 15.
Marc. 1.
Actor. 20.
Luc. 24.
Luc. 4.
2. Cor. 5.

Cùm enim nuda illa Legis prædicatio (sine mentione Christi) aut inflatos hypocritas efficiat, qui sibi imaginantur, quòd Legem externis operibus suis implere valeant, aut homines ad desperationem adigat, Christus Legem in manus suas sumit, eamq; spiritualiter explicat, & sic iram suam de cœlo reuelat, super omnem impietatem hominum, & ostendit, quanta sit ira diuina. Ea ratione ad legem illi ablegantur, vt ex ea demum rectè peccata sua agnoscere discant: quam agnitionem peccatorum Moises nunquam ab illis ex-

Matth. 5.
Rom. 1. 7.

torquere potuisset. Quia (vt Apostolus testatur) etsi
2.Cor. 3. Moises prælegitur: manet tamen nihilominus velamen super faciem eius, non retectum, vt non agnoscere possint homines, legem esse spiritualem, & exigere a nobis res longè maximas, quas cùm præstare & implere nequeant, Legem nos horribili & extrema maledictione atq; damnatione obruere. Quando autem ad
1. Cor. 3. Christum conuertuntur, tum velamen illud tollitur: vt idem Apostolus docet.

Hæc cùm ita se habeant, manifestũ est, Spiritus sancti officium esse, non tantùm consolari, verùm etiam (ministerio Legis) arguere mundum de peccato: & ita (etiam in nouo Testamento) facere opus alienum, vt Propheta loquitur, quod est, arguere: vt postea faciat opus proprium, quod est, consolari, & gratiam Dei prædicare. Hanc enim ob causam nobis Christus precibus suis & sanctissimo merito eundem nobis à Patre impetrauit, & misit: vnde & paracletus seu consolator dicitur: quemadmodum D. Lutherus in explicatione Euangelij Dominicæ 5. post Trinitatis, sequentibus verbis hanc rem perspicuè exposuit.

Concio Legis est, quicquid de peccatis nostris & de ira Dei docet: quomodocunq; aut quandocunq; illa fiat. Euangelion verò talis est cõcio, quæ nihil nisi gratiam & clementiam Dei, atque remissionem peccatorum in Christo monstrat & exhibet. Interim tamen verum est & rectè fit, quòd Apostoli & Euangelij ministri (quod & ipse Christus fecit) concionem Legis confirmant, eamque inchoant apud eos, qui peccata sua nondum agnoscunt, & sensu iræ Dei nondum sunt perturbati, vt ipse inquit: Spiritus sanctus arguet mun-
Iohan. 16. dum de peccato: quia in me non credunt. Imò, quæ magis seuera & horrenda significatio atque concio iræ diuinæ aduersus peccata est, quàm illa ipsa passio & mors Iesu Christi, filij Dei? Veruntamen quoad hæc

omnia

nnia iram Dei ostendunt, & hominem terrent, non-
dum sunt propriè Euangelij aut Christi concio: sed
potiùs Moses & Lex, contra impœnitentes. Euangelion enim & Christus nobis non eam ob causam donantur, vt nos perterrefaciant atq; condèmnent: sed vt ij, qui perturbati & pusillanimes sunt, consolationem capiant atque erigantur. Et alibi inquit D. Lutherus: Christus ait: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Hoc autem fieri non potest, NISI per explicationem LEGIS.

Tom. 2. Ien. fol. 455.

In hanc sententiam etiam Smalcaldici articuli loquuntur. Nouum Testamentum retinet atq; vrget ministerium Legis: quæ & peccata arguit, & iram Dei reuelet. Sed ad illud Legis officiũ adiungit mox promissionem gratiæ diuinæ, per Euangelij prædicationem.

Et Apologia inquit: Ad salutarem & veram pœnitentiam non sufficit Legis prædicatio: sed accedere oportet Euangelion. Hoc modo duo hæc doctrinarum genera coniuncta sunt, & ambo vrgenda sunt: certo tamen ordine, & conuenienti discrimine obseruato. Et iustè damnantur Antinomi aduersarij Legis, qui prædicationem legis ex Ecclesia explodunt, & affirmant, non ex Lege, sed ex solo Euangelio peccata arguenda, & contritionem docendam esse.

Vt autem omnes intelligant, quòd in hac controuersia nihil dissimulare, sed pio Lectori totum negotium, quanta fieri potest simplicitate & perspicuitate, ante oculos proponere cupiamus, sententiam nostram exponemus.

Credimus, docemus, & confitemur vnanimi consensu: quòd Lex propriè sit doctrina diuina, in qua iustissima & immutabilis Dei voluntas reuelatur: quam oporteat esse hominem, in sua natura, cogitationibus, verbis, factis, vt Deo probari & acceptus esse possit. Simul autẽ transgressoribus, Dei iram & tẽporalia

Quid sit lex

Rom. 3. 7. atque æterna supplicia Lex denunciat. Nam (vt D. Lutherus contra Antinomos scribit) quicquid peccatum arguit, id Legis habet rationem, & ad Legem pertinet, cuius proprium officium est, peccata arguere, & ad agnitionem peccatorum adducere. Et quia incredulitas radix & fons est omnium peccatorum, quæ arguenda & reprehendenda sunt, Lex Dei etiam incredulitatem arguit.

Est autem etiam hoc verum, Legis doctrinam per Euangelion illustrari & declarari. Nihilominus verò proprium Legis officium est manetq;, peccata arguere, & de bonis operibus docere.

Hac ratione Lex incredulitatem arguit: quando videlicet verbo Dei fides non adhibetur. Cùm autem Euangelion (quod solum, & propriè docet ac iubet in Christum credere) sit verbum Dei, Spiritus sanctus per ministerium Legis etiam incredulitatem arguit: quod peccatores non in Christum credant: quod Euangelium tamen solum propriè docet de saluifica fide in Christum.

Euangelion autem propriè doctrina est, quæ docet (quandoquidem homo Legi Dei non satisfecit, sed eam transgressus est, & Legi Dei tota ipsius natura, cogitationes, sermones, facta repugnant: vnde & iræ Dei morti, omnibusque temporalibus ærumnis, & æternæ gehennæ incendio obnoxius est:) quid miserrimus ille peccator CREDERE debeat, vt remissionem peccatorum apud Deum obtineat: videlicet, Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum in sese suscepisse maledictionem Legis ferendam, omnia nostra peccata, plenissima satisfactione expiâsse: ita quidem, vt per ipsum solum cum Deo reconciliemur, remissionem peccatorum per fidem consequamur, à morte omnibusq; alijs peccati supplicijs liberemur, & in æternum saluemur.

Quæ-

Quicquid enim pauidas mentes consolatur, quicquid fauorem & gratiam Dei transgressoribus Legis offert, hoc propriè est, & rectè dicitur Euangelion, hoc est, lætissimum nuncium: quòd Dominus Deus peccata nostra nolit punire, sed propter Christum condonare.

Quare peccatores pœnitentes credere debent, hoc est, totam suam fiduciam in solum Christum collocent: quòd videlicet propter peccata nostra traditus sit, & propter iustitiam nostram resurrexerit: qui peccatum quidem non nouerat, & tamen pro nobis peccatũ factus est: vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso, qui nobis factus est iustitia: & cuius obedientia nobis coram seuero Dei iudicio ad iustitiam imputatur: vt ita lex, vt suprà ostensum est, ministerium sit, quod per literam occidit, & damnationem denunciat, Euangelion autem sit potentia DEI ad salutem omni credenti, prædicans iustitiam, & dans Spiritum: quemadmodum D. Lutherus hoc discrimen propemodum in omnibus suis scriptis diligenter inculcauit: atq; accuratè monuit, longè aliam Dei agnitionem ex Euangelio, quàm ex lege hauriri: quia etiam gentes ex Lege Naturæ aliquam Dei cognitionem habuêre: nec tamen eum rectè vel agnouerunt, vel coluerunt.

Rom. 4.
2. Cor. 5.
1. Cor. 1.
2. Cor. 3.
Rom. 1.
Rom. 1.

Hæc autem duo doctrinarũ genera iam inde à conditio mundo in Ecclesia Dei, conuenienti tamen discrimine, proposita fuêre. Patriarcharum enim posteri (quemadmodum etiam ipsi Patriarchæ) non modò assiduè in memoriam reuocârunt, quòd homo initiò à Deo iustus & sanctus creatus, fraude autem serpentis mandatum Dei transgressus peccator sit factus: eaq; se non modo se, verùm etiam totam suam posteritatem perdiderit, atq; in mortem & æternam damnationem præcipitauerit: Sed rursus se erexerunt, & consolati sunt dulcissima illa concione, de semine mulieris,

Genes. 3.

con-

Gen. 22. contrituro caput Serpentis: Item, de Abrahami semine, in quo benedicendæ erant omnes gentes: & de filio
Psal. 110. Dauidis, qui regnum Israëlis restaurare debebat, & lumen gentium futurus erat: qui vulneratus est propter
Isa. 40. & 53. iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus.
Luc. 1.

Hæc duo doctrinæ Christianæ capita, credimus atque profitemur, vsq; ad nouissimum diem sedulò, conuenienti tamen discrimine, in Ecclesia Dei proponenda atque vrgenda esse. Concione enim LEGIS, eiusq; grauissimis comminationibus in ministerio Noui Testamenti, mentes impœnitentium hominum perterrefaciendæ, atq; ad veram peccatorum suorum agnitionem, & ad agendam pœnitentiam sunt adducendæ. Id tamen non eo modo, vt propter peccata desperent,
Galat. 3. sed vt ad Christum confugiant: Lex enim pædagogus
Rom. 10. est in Christum, vt per fidem iustificemur: & cum Christus sit finis legis, non à Christo, sed ad Christum nos ducat. Quare post agnita peccata ex Lege, mentes perturbatæ erigendæ sunt, vt ex EVANGELII de Christo prædicatione solidam consolationem capiant, atq; confirmato animo sint, scientes, quòd Dominus (siquidem Euangelio crediderint) omnia peccata per Christum ipsis condonet, eos propter mediatorem filios adoptet, & ex mera gratia, sine vllo ipsorum merito, iustificet, & saluare velit. Non tamen diuina illa gratia abutantur, aut eius fiducia scientes volentes peccent. Et hoc discrimen Legis & Euangelij
2. Cor. 3. Paulus in Epistola ad Corinthios posteriore luculenter admodum declarauit.

Quare ne doctrina Legis & Euangelij denuò commisceantur, & vni, quod alterius est, tribuatur, summo studio vera & propria differentia Legis & Euangelij retinenda atque vrgenda est: eaq; omnia, quæ nouæ confusioni inter Legem & Euangelium occasionem præ-

bere possent, studiosè cauenda atq; vitanda sunt. Talis enim confusio facilè meritum & beneficia Christi obscurare, & Euangelion in Legem transformare posset; quod sub Papatu accidisse videmus. Et hac ratione piis mentibus vera consolatio, quam ex Euangelio contra terrores legis haurire debent, eriperetur: & Pontificijs erroribus fenestra in Ecclesiam Dei irrependi & inuadendi aperiretur. Quapropter magno cum periculo coniunctum est, neq; approbari potest, quòd asseritur, Euangelium (propriè sic dictũ, & cùm a lege discernitur) esse concionem pœnitentiæ, arguentem peccata. Alias verò quando generaliter de tota doctrina Christiana accipitur, etiam Apologia aliquoties docet, quòd Euangelium sit concio de pœnitentia & remissione peccatorum. Interim tamen Apologia etiam ostendit, Euangelion PROPRIE dici promissionem de remissione peccatorum, & iustificatione nostra per Christum: Legem verò esse doctrinam, quæ & peccata arguat, & damnationem denunciet.

VI.
DE TERTIO VSV LEGIS DIVINÆ.

CVM constet, triplicem esse legis diuinæ vsum (Lege enim disciplina externa & honestas, contra feros & indomitos homines, vtcunq; conseruatur. Lege peccatores ad agnitionem peccati adducuntur. Deniq; qui per Spiritum Dei renati, & ad Dominũ conuersi sunt, & quibus iam velamen Moisis sublatũ est, lege docentur, vt in vera pietate viuant & ambulent.) Orta est de tertio illo vsu Legis controuersia, inter paucos quosdam Theologos. Horũ alij docuerunt atq; senserunt, non opus esse, vt renati I. II. III.

nouam

nouam obedientiam, seu bona opera (in quibus ambulare oporteat) ex lege discant; aut, vt doctrina de bonis operibus ex lege depromatur vel vrgeatur, quandoquidem per Filium Dei libertati restituti, & iam facti sint templa Spiritus sancti, & propterea liberi, perinde ac Sol absq; alieno impulsu, sponte cursum suum naturalem conficit: ita enim & renatos sua sponte, instinctu & impulsu Spiritus sancti, ea agere, quæ Deus ab ipsis requirat. Alij verò docuêre: etiamsi verè credentes Spiritu Dei reuerà agantur, & hac ratione secundùm interiorem hominem, libero & spontaneo spiritu voluntatem Dei faciant; tamen Spiritum sanctum, scripta lege ad doctrinam ipsorum vti solere, quæ etiam rectè credentes informentur, & discant, Deo non esse seruiendum iuxta ipsorum cogitationes aut opiniones, sed iuxta scriptam legem, & verbum eius reuelatum. Illud enim certissimam esse regulam & normam, ad quam vita, secundùm immutabilem voluntatem Dei, sit piè instituenda.

Ad declarandam igitur & componendam hanc dissensionem, credimus, docemus, & confitemur vnanimiter, quòd etsi credentes & ad Deum verè conuersi atq; iustificati, liberati sunt à MALEDICTIONE legis, ita quidem vt ea ratione iam liberi dicantur: tamen in lege diuina quotidie exercere se debeant, vt scriptum est: Beatus, qui lege Domini delectatur, & in lege eius meditatur die ac nocte. Est enim lex Dei instar speculi limpidissimi, in quo voluntas Dei, & quæ ipsi placent, perspicuè oculis nostris proponuntur: igitur ea credentibus semper inculcanda, & apud eos diligenter & assiduè est vrgenda.

Psal. I. 119.

Etsi enim iusto lex non est posita (vt Apostolus testatur) sed iniustis: hoc tamen non ita nudè accipiendum est, quasi iustis sine lege viuere liceat. Lex enim diuina cordibus ipsorum inscripta est. Et quidem

primo

rimo homini statim post ipsius creationem etiam lex data fuit, secundùm quam viuere debebat. Hæc igitur est verborum Pauli vera & genuina sententia: quòd lex eos, qui per Christum cum Deo reconciliati sunt, maledictione sua obruere nequeat: & quòd renatis, coactione sua, molesta esse non possit: quandoquidem illi secundùm interiorem hominem lege Dei delectentur.

Et sanè, si credentes, & electi filij Dei per inhabitantem Spiritum, in hac vita perfectè renouarentur; ita quidem, vt in tota ipsorum natura, & in omnibus viribus peccatum non ampliùs hæreret, non indigerent illi lege: neque vllo exactore, qui eos ad bene operandum vrgeret. Quia sponte & liberrimo spiritu, sine omni doctrina, admonitione, cohortatione, aut impulsu legis, ea ipsa facerent, quæ iuxta voluntatem Dei agere debent. Sicut etiam Sol, Luna, & reliqua astra, naturalem suum cursum, sine admonitione, cohortatione, impulsu & coactione, per se sine impedimento absoluunt: ad eum modum, quem Dominus semel in prima creatione instituit: imò, sicut sancti Angeli, promtam & per omnia spontaneam obedientiam præstant.

At verò credentes in hac vita non perfectè, completiuè vel consummatiuè (vt veteres locuti sunt) renouantur. Et quamuis ipsorum peccata CHRISTI obedientia absolutissima contecta sint, vt credentibus nõ ad damnationem imputentur: & per Spiritum sanctum veteris Adami mortificatio, & renouatio in Spiritu mentis eorum inchoata sit: tamen vetus Adam in ipsa natura, omnibusq; illius interioribus & exterioribus viribus adhuc semper inhæret. De hac re Apostolus ait: Scio, quòd in me, hoc est, in carne mea, nõ habitet bonum. Et rursus: Non quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Et: Video *Rom. 7.*

aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati. Item, Caro concupiscit aduersus spiritum: Spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunq; vultis, illa faciatis.

Galat. 5.

Eam ob causam credentes, electi, & renati filij Dei (propter illas concupiscentias carnis) non modò assidua Legis admonitione, doctrina, & comminationibus indigent, verùm etiam sæpè castigationibus, vt veterinus illis excutiatur, & Spiritui sancto obtemperent, sicut scriptum est: Bonum est mihi Domine, quòd humiliâsti me, vt discerem iustificationes tuas. Et: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et: Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo spurij, & non filij estis. Ea de re D. Lutherus in explicatione Euangelij Dominicæ 19. post Trinitatis luculenter admodum docuit.

Psal. 119.
1. Cor. 9.
Hebr. 12.

Distinctè autem etiam explicandum est, quid Euangelium ad Nouam obedientiam credentium faciat & præstet: & quodnam (quoad bona opera credentium) sit Legis officium.

Lex enim inculcat quidem, esse voluntatem & mandatum Dei, vt in noua vita ambulemus: at vires & facultatem non donat, quibus nouam obedientiam inchoare & præstare possimus. Spiritus autem sanctus, qui non per Legis, sed per Euangelij prædicationem datur & accipitur, cor hominis renouat. Deinde idem Spiritus ministerio Legis vtitur, vt per eam renatos doceat, atq; in Decalogo ipsis monstret, quæ sit voluntas Dei bona, & ipsi placens: vt nouerint, quibus bonis operibus opera danda sit, quæ Deus præparauit, vt in illis ambulemus. Et exhortatur Spiritus sanctus ad bona opera: ac si quando propter carnem remissiores sunt & negligentiores, aut etiã rebelles, per legem

Galat. 3.
Rom. 12.
Ephes. 2.

eos

os arguit. Et hoc modo idē Spiritus duo officia diuer-
sa in ijsdem hominibus facit: mortificat, & viuificat:
deducit ad inferos & reducit. Eius enim officium non
tantùm est CONSOLARI, verùm etiam ARGVERE,
vt scriptum est: Cùm venerit Paracletus, arguet mun-
dum (sub quo & vetus Adam comprehenditur) de
peccato, & de iustitia, & de iudicio. Peccatum autem
est, quicquid legi diuinæ aduersatur. Et Paulus ait: O-
mnis scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad docen-
dum, ad ARGVENDVM, &c. Arguere autem pecca-
ta est proprium officium legis. Quare quoties creden-
tes delinquunt, corripiuntur & arguuntur à Spiritu
sancto per Legem: & ab eodem Spiritu rursus erigun-
tur & consolationem accipiunt per Euangelij prædi-
cationem.

2. Tim. 3.

Vt autem omnis ambiguitas & erroris occasio, quò
id eius fieri potest, caueatur: & discrimen inter opera
Legis & opera Spiritus propriè & dextrè tradatur at-
que conseruetur: singulari diligentia obseruandum
est, quando de bonis operibus agitur, quæ LEGI
DEI sunt conformia (aliâs enim bona opera nequa-
quam censerentur:) quòd, hoc loco, vocabulum
LEGIS vnam tantùm rem significet: immutabilem,
videlicet, voluntatem Dei, secundùm quam homines
omnes vitæ suæ rationes instituere debeant.

Est autem discrimen in operibus, propter differen-
tiam HOMINVM, qui secundùm Legem illam & vo-
luntatem Dei viuere student. Homo enim nondum re-
natus, qui vtcunque secundùm Legem Dei viuit, & o-
pera Legis ideò facit, quia ad eum modum sunt man-
data: eamque obedientiam formidine pœnæ, aut spe
præmij alicuius præstat: is adhuc sub Lege est, tanquā
seruus, & opera eius propriè à D. Paulo Legis opera
vocantur. Quia talia opera à Lege extorta sunt; & hi
sunt Caimici sanctuli, (*hoc est, hypocritæ.*)

Cùm autem homo per Spiritum sanctum renatus atque à Lege, hoc est, à coactione Legis, liberatus est, iamque Spiritu Dei agitur: tum secundùm immutabilem Dei voluntatem in Lege reuelatam, viuit: & omnia, quatenus renatus est, libero & promto spiritu agit. Et talia opera propriè non sunt appellanda, Opera legis, sed opera & fructus spiritus: aut, vt D. Paulus ea vocat, dicuntur, Lex mentis, & Lex Christi. Hi enim homines non amplius sub lege sunt, sed sub gratia: vt idem Apostolus testatur.

1. Tim. 1.

Rom. 6. 8.

Cùm autem credentes in hac vita non plenè renouentur, sed vetus Adam ipsis, vsq; ad extremum spiritum adhæreat: manet etiam in illis lucta inter Spiritum & carnem. Quare delectantur quidem lege Dei, secundùm interiorem hominem: interim tamen Lex illa, quæ est in membris eorum, legi mentis repugnat. Vnde fit, vt nunquam quidem sine lege, & tamen non sub lege, sed in lege sint, secundùm legem Domini viuant & ambulent: & tamen bona opera non EX COACTIONE legis faciant.

Quod verò ad veterem Adamum attinet, qui in ipsis adhuc hæret: ille non modò Lege, verùm etiam pœnis vrgendus & cohercendus est: & tamen omnia inuitus & coactus facit: non minùs quàm impij, qui comminationibus Legis vrgentur, & in officio & obedientia inuiti vtcunq; retinentur.

1. Cor. 9.

Roman. 7.

Quin etiam legis doctrina hoc nomine credentibus necessaria est: ne propria quadam sanctimonia religiosum vitæ genus de suo ingenio excogitent, & sub prætextu Spiritus Dei electitios cultus sine verbo & mandato Dei, instituant. De qua re sic scriptum est: Non facietis singuli, quod sibi rectum videtur, &c. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: neq; addas quicquam, nec minuas.

Deut. 12.

Sed & aliam ob causam doctrina legis in exercitio

bonorum operum credentibus necessaria est. Facilè enim homo imaginari & persuadere sibi potest: vitam & opera sua omninò pura & perfecta esse. At lex Dei credentibus bona opera ad eum modum præscribit: vt simul, tanquam in speculo nobis commonstret, ea omnia in nobis in hac vita adhuc imperfecta & impura esse: ita quidem, vt cum Apostolo fatendum nobis sit: Etsi mihi nihil conscius sum, tamen in eo non sum iustificatus. Quare cùm D. Paulus renatos hortatur, vt bona opera faciant, expressè Decalogum eis proponit: & opera sua imperfecta & impura esse, ipse ex lege agnoscit. Et Dauid inquit: Viam mandatorum tuorum cucurri. Interim tamen orat: Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

1. Cor. 4.
Rom. 13.
Rom. 7.
Psal. 119.
Psal. 143.

Quomodo autem, & qua de causa bona opera credentium (licèt in hac vita propter peccatum in carne hærens imperfecta & impura) grata Deo acceptaq; sint, hoc non docet Lex: quæ integram, perfectam & puram, omnibusq; numeris absolutissimam obedientiam requirit: si modò ea Deo probari debeat. Euangelion verò docet, Spiritualia sacrificia nostra Deo accepta esse per fidem, propter Christum. Et hac ratione pij non sunt sub lege, sed sub gratia: propterea quòd ipsa persona piorum à maledictione & damnatione legis per fidem in Christum sit liberata, & quòd bona opera ipsorum, etsi imperfecta & impura, Deo, propter Christum, sint accepta & grata: & quòd non ex coactione legis, sed ex renouatione Spiritus sancti ex animo promtè & sponte ea faciant, quæ Deo placent: quatenus secundùm interiorem hominem sunt renati. Interim tamen assiduè cum veteri suo Adamo luctantur.

1. Pet. 2.
Heb. 11. 13.

Vetus enim ille Adam (quasi asinus indomitus & contumax) est adhuc etiam pars aliqua ipsorum, quæ

non modò legis doctrina, exhortationibus, impulsu, & comminationibus, verùm etiam (quasi fusto) plagis & pœnis cohercenda, in obedientiam Christi cogenda est: donec carnem peccati prorsus exuamus, & homo perfectè in beata illa resurrectione renouetur. Tum verò nec doctrina, nec comminationibus & reprehensionibus legis, denique ne Euangelij quidem prædicatione indigebit: hæc enim ad hanc mortalem duntaxat & imperfectam vitam spectant. Sed quemadmodum Dominum facie ad faciem intuebuntur: ita virtute inhabitantis Spiritus Dei, sponte, sine vlla coactione, absque omni impedimento, puri prorsus & perfecti, maximo cùm gaudio voluntatem Patris cœlestis facient: & in Deo, in omnem æternitatem, lætabuntur.

Quare reijcimus & damnamus, vt errorem perniciosum, qui Christianam disciplinam soluit & veræ pietati aduersatur: cùm docetur, quòd Lex (eo modo, qui suprà explicatus est) non apud pios & credentes, sed tantùm apud infideles, impios & impœnitentes vrgenda sit.

VII.
DE COENA DOMINI.

QVAMVIS fortasse quibusdam videri possit, declarationem articuli de sacra Cœna, huic scripto inserendam non fuisse: in quo eos duntaxat articulos, qui inter Theologos Augustanæ Confessionis in controuersiam venerunt, declarandos suscipimus, & verò manifestum sit, Sacramentarios iam olim, (cùm Confessio Augustana Anno Domini 1530. primùm conscriberetur & Imperatori exhiberetur) penitùs ab ea alienos fuisse, atque talem eo tempore secessionem fecisse, vt peculiarem ex de re Confessionem

nem offerrent. Quia tamen (quod sanè dolendum est) Theologi quidam, & alij præterea nonnulli, qui Confessionis Augustanæ religionem iactitant, proximis hisce annis in hoc articulo non clam tantùm & occultè, sed partim etiam apertè ad Sacramentarios defecerunt: & contra conscientiæ suæ testimonium Augustanam Confessionem (quasi ea cum Sacramentariorum doctrina in hoc articulo per omnia faceret) violenter in alienam sententiam pertrahere, eamq; hoc modo deprauare nituntur: facere non potuimus, quin etiam in hoc scripto veritati cœlesti pia & sincera nostra Confessione testimonium perhiberemus, & veram ac genuinam tam verborum Christi, quàm Augustanæ Confessionis sententiam, de hoc negotio, repetteremus. Agnoscimus enim, nostri officij esse, vt (quantum quidem in nobis est) piam & sinceram doctrinam hanc, per gratiam Dei, etiam ad posteritatem transmittamus: & auditores nostros aliosq; pios homines fideliter admoneamus, vt à pestilenti errore illo (qui & verbo Dei & Augustanæ Confessioni repugnat, ac dudum aliquoties damnatus est) quàm diligentissimè sibi caueant.

Status controuersiæ, quæ est inter nos & Sacramentarios, in negocio Cœnæ Dominicæ.

ETsi Sacramentarij quidã in eo elaborant, vt quàm proximè verbis ad Augustanam Confessionem accedant, & nostrarum Ecclesiarum formas loquendi vsurpent: ac fatentur, quòd in Cœna Domini corpus Christi verè à fidelibus accipiatur: attamen, quando seriò vrgentur, vt sententiam suam ingenuè, apertè, & perspicuè, profiteantur, tum vno ore omnes animum suum declarant, quòd credant, verum &

substantiale Christi corpus, eiusq; sanguinem à benedicto pane & vino, in Cœna sacra, tanto locorum interuallo abesse, quanto summum cœlum ab infima terra distet. Hæc enim sunt ipsorum verba: Abesse Christi corpus & sanguinem à signis tanto interuallo dicimus: quanto abest terra ab altissimis cœlis. Quare cùm de præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna loquuntur, non volunt ea in terris adesse, nisi respectu fidei nostræ: hoc est, fidem nostram dicunt per visibilia symbola, perinde vt per verbum prædicatum, commonefieri & excitari: vt sese attollat, atque omnes cœlos transcendat: & hoc modo præsens, in cœlo corpus Christi, eiusq; sanguinem (imò ipsum Christum, cum omnibus beneficijs suis) verè & substantialiter, sed tamen SPIRITVALITER TANTVM sumat, eoq; fruatur. Sentiunt enim, vt panis & vinum hîc sunt in terris, & non in cœlo: ita corpus Christi iam in cœlis esse, & non in terra: quare in Cœna Domini nihil aliud ore sumi, quàm panem & vinum.

Ac initiò quidē cùm hæc controuersia orta fuisset, fingebant, Cœnam Domini esse tantùm externum signum professionis, quo Christiani ab alijs hominibus discernerentur: & in eo Sacramento nihil nisi panem & vinum (absentis videlicet corporis Christi nuda symbola) exhiberi. At cùm intelligerent, hoc figmentū nihil prorsus coloris habere, neq; consistere posse, cœperunt fateri, Dominum nostrum Iesum Christum in sacra Cœna sua verè præsentē esse, per communicationem Idiomatū: hoc est, tantummodò secundùm diuinam suam naturam: sed non suo corpore & sanguine.

Posteà etiamsi verbis Christi grauiter vrgebantur, vt præsentiam corporis Christi in sacra Cœna fateri cogerentur: id tamen aliter non intellexerunt, & declarârunt, quàm quòd spiritualem tantùm præsentiam crederent: hoc est, quòd Christus tantùm virtutis,

opera

operationis, & beneficiorum suorum, per fidem nos participes faceret. Quia (inquiunt) Spiritus Christi (quybique præsens est) corpora nostra (in quibus Spiritus ille hîc in terris habitat) cum corpore Christi, quod in cœlis est, coniungit.

Quare splendidis & magnificis verbis illis, multis magnis & præclaris viris imposuerunt, quando nimirum affirmârunt atq; iactitârunt: se planè nihil aliud sentire, quàm quòd Dominus Iesus Christus verè, substantialiter, viuus in sacra sua Cœna præsens sit. Hoc autem intelligunt ipsi tantùm de diuina Christi natura: non autem de ipsius carne & sanguine. De his enim sentiunt, ea tantùm in cœlis, & præterea nullibi esse: ideoq; Christũ nobis cum pane & vino verum corpus & verum sanguinẽ manducandum & bibendũ dare, spiritualiter, per fidẽ: sed non corporaliter ore sumendũ.

Verba enim institutionis Cœnæ Dominicæ, edite, HOC EST CORPVS MEVM, non propriè, vt sonant, secundùm literam, sed quasi figuratum sermonem, figuratè accipiunt: ita, vt EDERE corpus Christi nihil aliud ipsis significet, quàm CREDERE in Christum. Et vocabulum corporis illis nil nisi Symbolum, hoc est, signum seu figuram corporis Christi denotet: quod tamen non in terris & in sacra Cœna præsens, sed tantùm in cœlis sit. Verbum (EST) sacramentaliter, seu modo significatiuo interpretantur: ne quis rem cum signis ita putet copulari, vt Christi quoq; caro nunc in terris adsit, modo quodam inuisibili & incomprehensibili. Hoc, nimirum, volunt, corpus Christi cum pane sacramentaliter seu significatiuè vnitum esse: ita vt credentes ac pij homines tàm certò corpus Christi (quod sursum in cœlis sit) fide spiritualiter accipiant, quàm certò panem ore manducant. Quòd verò corpus Christi in sacra Cœna in his terris substantialiter (licèt inuisibili & incomprehensibili modo) præsens

sit, & vnà cum pane benedicto, ore, etiam ab hypocritis, & nomine duntaxat Christianus, sumatur, id solent quasi horrendam blasphemiam damnare & execrari.

Contrà verò de Cœna Domini in Confessione Augustana, ex verbo Dei sic docetur: Verùm corpus & sanguinem Christi, verè, sub specie panis & vini, in sacra Domini Cœna præsentia esse, distribui & sumi: secus autem docentes, improbari. His postremis verbis Sacramentariorum error perspicuè reijcitur: qui eo ipso tempore Augustæ peculiarem Confessionem obtulerunt: quæ veram & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam in Sacramento Cœnæ, in terris administratæ idcirco negabat, quia Christus ascendisset in cœlos. Pia etiam nostra de hac re sententia in Minore D. Lutheri Catechismo perspicuè sequentibus verbis expressa est. Sacramentum altaris est verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi: sub pane & vino nobis Christianis ad manducandum & bibendum à Christo ipso institutum. Luculentiùs etiamnum hæc ipsa sententia nostra in Apologia non modò declaratur, verùm etiam illustri dicto Pauli 1. Corinth. 10. & testimonio Cyrilli confirmatur hisce verbis: Decimus articulus approbatus est: in quo confitemur, nos sentire, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint, corpus & sanguis Christi: & verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino: his qui Sacramentum accipiunt. Cùm enim Paulus dicat: Panem quem frangimus, communicationem corporis CHRISTI esse, &c. sequeretur, panem non corporis, sed Spiritus Christi participationem esse, si non ipsum Christi corpus, sed duntaxat Spiritus sanctus verè præsens esset. Et comperimus, non tantùm Romanam Ecclesiam affirmare corporalem Christi præsentiam: sed idem & nunc sentire, & olim etiam sensisse Græcam Ecclesiam. Sed & ibidem

ex Cy-

ex Cyrillo testimonium adducitur, Christum etiam corporaliter in sacra Cœna communicatione suæ carnis in nobis habitare.

Posteà cùm illi, qui Augustæ peculiarem suam confessionem de hoc articulo obtulerant, nostrarum Ecclesiarum Confessionem approbare velle viderentur, VVittenbergæ Anno Domini 1536. formula quædam Concordiæ (quam nunc recitabimus) inter Saxonicos, & superioris Germaniæ quosdam Theologos, conscripta, & D. Mart. Lutheri, aliorumq; (vtriusq; partis) Theologorũ subscriptione approbata est. Ea sic habet:

Audiuimus Bucerum explicantem suam & aliorum concionatorum, qui vnà adfuerunt, sententiam de Sacramento corporis & sanguinis Christi, hoc modo:

Confitentur, iuxta verba Irenæi, Eucharistiam constare duabus rebus, terrena & cœlesti. Proinde sentiunt & docent, cum pane & vino, verè & substantialiter adesse, exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi. Et quanquam negant fieri Transsubstantiationem, nec sentiunt fieri localem inclusionem in pane, aut durabilem aliquam coniunctionem extra vsum Sacramenti; tamen concedunt, sacramentali vnione panem esse corpus Christi: hoc est, porrecto pane sentiunt simul adesse & verè exhiberi corpus Christi. Nã extra vsum, cùm reponitur, aut asseruatur in pixide, aut ostenditur in processionibus, vt fit apud Papistas, sentiunt non adesse corpus Christi.

Deinde hanc institutionem Sacramenti à Christo factam sentiunt valere in Ecclesia: nec pendêre ex dignitate vel indignitate Ministri & sumentis. Quare sicut Paulus ait, etiam indignos manducare Sacramentum: ita sentiunt, corpus Christi & sanguinem verè porrigi etiam indignis: & indignos verè illa sumere: vbi seruantur verba, & institutio CHRISTI: Sed tales sumunt ad iudicium, vt Paulus ait: quia abutũtur

Sacra-

acramento, cùm sine vera pœnitentia & fide eo vtuntur. Ideo enim institutum est, vt testetur, illis applicari gratiam & beneficia Christi: illos inseri Christo, & sanguine eius ablui, qui agunt pœnitentiam, & erigunt se fide in Christum.

In sequenti anno præcipui Augustanæ Confessionis Theologi è tota Germania Smalcaldiam conuocati sunt: vt in medium consulerent, quæ doctrinæ capita, in nostris Ecclesijs hactenus proposita, concilio (quod Pontificij celebraturi dicebantur) exhibenda & defendenda essent. Ibi D. Lutherus articulos illos, quos Smalcaldicos vocant, composuit: qui communi & vnanimi consensu ab omnibus illis Theologis, qui conuenerant, subscriptione confirmati sunt. In illis articulis D. Lutherus veram & genuinam suprà commemoratæ formulæ VVitenbergæ conscriptæ, sententiam, breuibus quidem, sed significantibus & perspicuis verbis, quæ proximè ad verba Christi accederent, explicuit. Sacramentarij enim iam dictæ formulæ verba ad malam suam causam fulciendam planè in alienam sententiam detorserant: quòd videlicet corpus Christi non alia ratione in Cœna distribueretur, quàm sicut idem corpus vnà cum omnibus beneficijs suis verbo Euangelij exhibetur. Et Sacramentalem vnionem nihil aliud esse, quàm præsentiam Christi spiritualem, quæ fit fide, interpretati fuerant. Has rimas, per quas illi effugium quærebant, Smalcaldici articuli obstruxerunt. Asserunt enim, panem & vinum in sacra Cœna esse verum corpus & verum sanguinem Iesu Christi: quæ & exhibeantur & sumantur non modò à pijs, verùm etiam ab ijs, qui præter nomen nihil habent Christianum.

Hanc piam sententiam D. Lutherus copiosiùs è verbo Dei, in Maiore suo Catechismo declarat: & sic ait: Quid igitur est Sacramentum, quod ad altare distri-

buitur?

...ntur? Respondetur: Est verum corpus & verus sanguis Christi, in, & sub pane & vino: quæ edere & bibere Christi verbo iubemur. Et post aliqua: Verbum Dei, inquam, illud est, quod hoc sacramentum constituit, & discrimen facit, vt non sit merus panis & merum vinum, sed vt hæc Christi corpus & sanguis sint & dicantur. Et post pauca: Hoc Christi verbo conscientiam tuam confirmare, & intrepido animo dicere potes: etiamsi decem Diabolorum myriades, vnà cum omnibus fanaticis doctoribus irruentes mihi obijciant, dicentes: quomodo panis & vinum possunt esse corpus & sanguis Christi; tamen certò scio, quòd omnes fanatici spiritus, & doctissimi quiq; homines, omnes simul, non tantum sapientiæ habeant, quantum diuina Maiestas vel in minimo digitulo habet. Hic verò in medio est Christi verbum expressum: Accipite, edite, hoc est corpus meum: Bibite ex hoc omnes, hoc est Nouum Testamentum in meo sanguine. Huic verbo firmiter insistimus: hic tutò manebimus; & expectabimus euentum, an IPSVM vincere, & institutionem eius mutare valeant. Hoc quidem verum est, quando verbum Dei ab hoc sacramento remoueris: aut absque verbo diuino sacramentum considerare volueris: quòd tum præter panem & vinum nihil habeas. At si verbum cum Sacramento retineatur: vt fieri omnino conuenit: tum Sacramentum illud (vt ipsa verba testantur) reuerà est corpus & sanguis Iesu Christi. Vt enim Christus ore suo de hoc Sacramento loquitur, ita res verissimè habet: IPSE enim mentiri & fallere nescit. *Tit. 1.*

His fundamentis iactis, facilè est respondere, ad quæstiones multas, quæ hoc seculo plurimùm agitantur: an, videlicet, minister Ecclesiæ, qui vitæ est dissolutioris, possit Cœnam Domini rectè administrare & exhibere? & si quæ sunt alia his non dissimilia, de quibus

disputa-

disputatur. Ita enim sentimus & statuimus: si maximè homo improbus & sceleratus Sacramentum Cœnæ Dominicæ sumat, aut distribuat: tamen sumere illum verum Sacramentum, hoc est, Christi corpus & sanguinem, non minùs, quàm eum, qui dignissimè illud sumat aut distribuat. Hoc enim Sacramentum non habet fundamentum, hominum sanctitatem, sed ipsum verbum Dei. Et quemadmodum nec vllus sanctus in terris, neq; Angelus in cœlis efficere potest, vt panis & vinum sint corpus & sanguis Christi: ita nemo id Sacramentum mutare potest, vt non sit Christi corpus & sanguis: etiamsi quidam eo abutantur.

Non enim propter alicuius aut personam aut incredulitatem, verbum Dei (quo cœna Domini instituta est, & propter quod rationem Sacramenti habet) irritum & vanum fieri potest. Quia Christus non dixit: si credideritis, aut digni fueritis, tum in cœna sacra corpus & sanguinem meum præsentia habebitis: sed potiùs ait: accipite, edite, & bibite: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus. Et præterea inquit: Hoc facite: quid nam? hoc ipsum certè, quod ego nunc facio, quod instituo, quod vobis trado, & vos accipere iubeo. Verba Christi hoc volunt: sive dignus, sive indignus sis, habes hic in Cœna, Christi corpus & sanguinem; idq; virtute verborum, quæ ad panem & vinum accesserunt. Hæc memori menti repone: quia in his verbis (institutionis Cœnæ) fundamentum nostrum, defensio & arma nostra sunt, aduersus omnes errores & fallacias, quæ aut allatæ sunt hactenus, aut vnquam adferri in hoc negocio poterunt.

Hæc Catechismi Maioris recitata verba veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna Domini, verbo Dei egregiè confirmant: & ijs solidè demonstratur, præsentiam illam non tantùm de manducatione credentium & dignorum, verùm etiam de in-

fide-

fidelibus & indignis communicantibus intelligendam esse.

Et quia singularibus & excellentissimis Spiritus sancti donis illuminatus Heros Doct. Lutherus, in spiritu præuidit, quòd post mortem ipsius, quidam ipsum suspectum facturi essent, quasi vel à doctrina iam commemorata, vel ab alijs etiam partibus purioris doctrinæ recesserit: eam ob causam Maiori suæ, de cœna Domini, Confessioni, hanc protestationem, sub finem, adiecit.

Quia video nullum esse sectarum & errorum finem, sed hæc mala indies incrementa sumere, Satanamque magis ac magis furere: ne quis igitur Sectariorum, me viuo, aut mortuo, aliquando nomen meum suo figmento prætexere possit, erroremq; suum (non candidè in medium allatis meis scriptis) stabilire ausit: quod Sacramentarij, & Anabaptistæ iam facere cœperunt: Fidem meam, in hoc scripto, coram Deo & toto mundo, de omnibus religionis nostræ articulis, profitebor. Et in ea fide (Domino me bene iuuante) ad extremum usq; vitæ spiritum perseuerare, atq; ex hac vita emigrare, & coram tribunali Domini nostri Iesu Christi intrepidè comparere paratus sum. Ac si quis fortè post meum obitum dicturus esset: si D. Lutherus nunc viueret, profectò de hoc vel illo articulo longè aliter sentiret atq; doceret: (non enim satis diligenter eam rem hactenus expendit) Contra hoc figmentum id iam dico, quod nunc essem affirmaturus: & quod tunc dicturus essem, idem iam nunc profiteor: me, videlicet, per gratiam Dei omnes hosce articulos quàm diligentissimè expendisse, & non semel, sed sæpissime ad normam sacræ scripturæ exegisse, & tanquam ad Lydium lapidem examinasse: nec minore animi constantia atque παρρησίᾳ singulos articulos defensurum, quàm qua nunc doctrinam de Sacramento altaris propugnaui.

Tom. VVit. Ger. 2. fol. 243.

Non

Non temulentus sum, aut parum consideratè loquor: scio, quid affirmem: & intelligo, quanta res mea agatur in illo die Domini nostri Iesu Christi, cùm venerit, viuos & mortuos iudicaturus. Quare nemo me, in re tam magna & seria, nugari existimet: hæc enim res vel maximè cordi mihi est. Noui (Dei beneficio) Satanam magna ex parte: qui cùm possit verbum Dei & sacras literas peruertere & deprauare: quid ille meis aut cuiuspiam alterius scriptis non faceret.

Fol. 245. Post hanc Protestationē D. Lutherus sanctæ memoriæ inter alios articulos etiā hunc ponit: Eodem modo (inquit) loquor & confiteor etiam de Sacramento altaris: quòd nimirum, ibi reuerà corpus & sanguis Christi in pane & vino ore edatur & bibatur: etiamsi ministri, qui Cœnam Domini distribuunt, aut qui eam sumunt, non credant, aut alias sacra Cœna abutantur. Cœna enim Domini non nititur hominum fide aut incredulitate, sed verbo Dei & ipsius institutione. Nisi fortè verbum Dei priùs immutent, & prorsus aliter, quàm oportet, interpretentur: vt hodie Sacramentarij hostes faciunt. Hi procul dubio nil nisi panem & vinum in Cœna habent, quia neq; verba neq; institutionem Domini habent, sed ea, ad suam falsam opinionem inflexerunt, mutârunt, & deprauârunt.

Tom. 2. Vnit. Ger. fol. 252. Et sane D. Lutherus (qui certè veram & genuinam Augustanæ Confessionis sententiam, præ alijs intellexit, & eam constanter, vsq; ad finem vitæ, retinuit & defendit) paulò ante suū ex hac vita discessum, in postrema illa sua de Cœna Domini confessione: fidem suam de hoc articulo magno zelo, sequentibus verbis professus est, atq; repetiuit, vbi sic ait: Ego omnes eos eodem numero habeo, hoc est, pro Sacramentarijs & fanaticis agnosco, (sunt enim tales) qui credere nolunt, quòd panis Domini in sacra Cœna sit verum ipsius naturale corpus, quod impius quispiam, vel Iudas ipse,

non

Dominus ore accipiat, quàm D. Petrus, & omnes alij Sancti: Qui (inquam) hoc credere recusat, is me inimicum faciat: neque vllam amicitiam aut familiaritatem à me expectet: sic enim stat sententia, quam non iam mutaturus.

Ex hisce (præsertim verò D. Lutheri, vt Primarij Doctoris Augustanæ Confessionis) declarationibus, quas prolixè recitauimus, cuilibet homini cordato (si modò is veritatis & pacis sit studiosus) manifestum, certum & indubitatum esse potest, quæ fuerit, hodieq; sit genuina & vera Confessionis Augustanæ SENTENTIA.

Quòd autem præter illas phrases, quibus Christus & Paulus vtuntur (cùm dicunt: panem in cœna esse corpus Christi, aut, comunicationem corporis Christi:) etiam alias loquendi formas vsurpamus: verbi gratia, cùm dicimus, sub pane, cum pane, in pane adesse & exhiberi corpus Christi: id non sine grauibus causis facimus. Primùm enim his phrasibus ad reijciendam Papisticam Transsubstantiationem vtimur. Deinde etiam Sacramentalem vnionem substantiæ panis non mutatæ, & corporis Christi hac ratione docere volumus. Ad eundem enim modum hoc dictũ, VERBVM CARO FACTVM EST, repetitur & declaratur alijs æquipollentibus propositionibus: exempli gratia: Verbum habitauit IN nobis: In Christo inhabitat tota plenitudo diuinitatis corporaliter: Deus erat cum eo: Deus erat in Christo, &c. & alia plura huius generis. Hæ phrases suprà commemoratum dictum Iohannis repetunt & declarant: videlicet, quòd per incarnationem diuina essentia non sit in humanam naturam conuersa: sed quòd duæ naturæ sinè confusione personaliter sint vnitæ. Et quidem multi excellentes Doctores ex erudita antiquitate, Iustinus, Cyprianus, Augustinus, Leo, Gelasius, Chrysostomus

& alij, hac ipsa similitudine (de persona Christi) mysterium sacramenti Cœnæ Dominicæ explicant. Docent enim, quemadmodum in Christo duæ distinctæ & non mutatæ naturæ inseparabiliter sunt vnitæ: ita in sacra Cœna, duas diuersas substantias, panem videlicet naturalem, & verum naturale corpus Christi in instituta sacramenti administratione hic in terris simul esse præsentia; Quod tamen non ita est accipiendum, quasi vnio hæc corporis & sanguinis Christi cum pane & vino, sit personalis vnio; qualis est vtriusque naturæ in Christo: sed est vnio sacramentalis: vt eam D. Lutherus & alij (in illa Concordiæ formula Anno 36. conscripta & aliâs) appellant. Quo significare volunt, etiamsi formis loquendi, in pane, sub pane, cum pane, quandoq; vtantur, tamen se propositionem (hoc est corpus meum) simpliciter, & vt verba sonant, accipere & amplecti, eamque nequaquam pro figurata, sed pro inusitata prædicatione agnoscere. Sic etiam Iustinus de hoc negotio loquitur, inquiens; Non vt panem vulgarem & potum accipimus: sed quemadmodum Christus Seruator noster, per verbum Dei, caro est factus, carnem quoque & sanguinem propter nostram salutem habuit: ita etiam credimus, per verbum & preces ab ipso sanctificatum cibum, Domini nostri Iesu Christi corpus & sanguinem esse. Et sanè D. Lutherus (in Maiori, præsertim verò vltima sua confessione de Cœna) eam de hac re formam loquendi, qua Christus in prima Cœna celebranda vsus est, grauiter & magno zelo defendit.

Cùm autem D. Lutherus haud dubiè præcipuus earum Ecclesiarum, quæ Augustanam Confessionem amplexæ sunt, Doctor fuerit (cuius tota doctrina, tanquam compendio, summatim in Augustana Confessione comprehensa, & Imperatori Carolo V. exhibita est) profectò commemoratæ illius Augustanæ

Con-

Confessionis propria, vera, & genuina sententia, ex nullos hominis libellis rectiùs & certiùs, quàm ex D. Lutheri Didacticis & Polemicis scriptis hauriri potest.

Et quidẽ hæc ipsa iam cõmemorata D. Lutheri sententia, in vnica solidissima, immota, & extra omne dubium posita petra veritatis (institutione nimirũ Cœnæ quæ in verbo Dei recitatur) fundata est: & hanc sententiam sancti Euangelistæ, Apostoli, & ipsorum discipuli ad eum modum acceperunt & amplexi sunt, eamque alios docuerunt, atq; ad posteritatẽ propagârunt.

Cùm enim Dominus & Saluator noster Iesus Christus: de quo (vt de vnico nostro præceptore) seuerissimum mandatum de cœlis omnibus hominibus datum est: HVNC AVDITE: nõ sit vulgaris aliquis homo, aut Angelus: nec sit tantummodò verax, sapiens, potens; sed & ipsa æterna veritas & sapientia, & verus Omnipotens Deus, qui rectissimè nouit, quid & quomodo loqui debeat, & omnia, quæ loquitur ac promittit, potentissimè efficere & præstare valet, sicut ipse inquit: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Et alibi: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra, &c.

Matth. 17.

Luc. 21.

Matth. 28.

Cùm, inquã, hic verax, omnipotens Dominus, creator & Redemtor noster Iesus Christus, post vltimam illam Cœnam, cùm iam iam acerbissimam suam passionem & mortem pro peccatis nostris accederet, tristissimo nimirum illo, & postremo tempore, re grauissimè deliberata, & magno zelo, augustissimum hoc Sacramentum Ecclesiæ ordinauerit (quod vsque ad finem mundi magna cum reuerentia, obedientia & humilitate sumendum, & perpetuum acerbissimæ passionis & mortis, & omnium beneficiorũ eius monumẽtum futurũ erat, simulq; obsignatio & cõfirmatio Noui Testamenti, solatium omnium perturbatarum conscientiarum, firmum vinculum societatis Christianæ,

& cum capite suo Christo, & inter se inuicem, coniunctio arctissima:) certè res grauissimas & longè maximas animo agitauit, cùm hæc verba institutionis Cœnæ (de pane illo, cui benedicebat, & quem discipulis porrigebat) pronunciaret: Accipite, comedite, HOC EST CORPVS MEVM, quod pro vobis traditur. Et de calice, seu vino: HIC EST SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.

Hæc cùm ita se haheant: profectò æterni, verissimi atq; Omnipotentis Filij Dei, Domini, creatoris & Redemtoris nostri Iesu Christi verba, non vt figuratè, Metaphoricè, tropicè dicta aut prolata, in aliam sententiam detorquenda sunt: vt nostræ humanæ rationi verisimilia fiant. Quin potiùs hæc Christi verba, vt sonant, in propria sua ac perspicua sententia, simplici fide & debita obedientia atque reuerentia accipere tenemur. Neque committendum est, vt vllæ obiectiones aut hominum contradictiones, quæ ab humanæ rationis acumine promanant, vtcunque humanæ rationi blandiantur, nos ab expresso illo Christi Testamento abducant.

Sanctissimus Patriarcha Abrahamus, cùm verbum Dei, de offerendo filio suo audisset, poterat certè occasionem disputandi arripere, an verba secundùm literam accipere, an verò comoda & tolerabiliore aliqua interpretatione lenire deberet: quandoquidem non modò cum omni ratione, & cum Lege Dei & naturæ, Verùm etiam cum præcipuo illo fidei articulo, de promisso semine Christo, qui ex Isaaci stirpe nasciturus erat, apertè pugnare viderentur. Veruntamen, sicut anteà promissionem de benedicto semine (ex Isaaci progenie nascendo) fide acceperat atq; amplexus fuerat: etsi idipsum rationi eius impossibile videretur: & sic Deo laudem veritatis tribuerat, certissimè sciens atque

credens,

redens, q; Deus, quæ promisisset, etiã præstare posset: ita quoq; nunc simpliciter accipit verbũ & mandatum Dei, secundùm literam, remq; totam diuinæ Omnipotentiæ & Sapientiæ permittens: quam scit multò plures habere modos, per quos promissionem illam de semine, ab Isaaco propagando, implere posset, quàm ipse cœca sua ratione comprehendere valeret. Et ad hunc modum etiam nos vera humilitate & obedientia creatoris & redemtoris nostri, perspicuo, firmo, claro & maximè serio verbo & mandato (absq; omni hæsitatione & disputatione, quomodo id ad nostram rationem quadret, aut possibile sit) simpliciter CREDERE debemus. Hæc enim verba locutus est DOMINVS ille, qui immensa est DEI patris Sapientia, & veritas ipsa: qui omnia, quæ promittit, certissimè re-ipsa perficere & præstare potest.

Et sanè omnes circumstantiæ institutionis Cœnæ Dominicæ luculenter testantur: verba illa Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi (quæ per se perspicua, firma, clara, & indubitata sunt) non aliter, quàm in vsitata, propria & communi significatione accipi posse & debere. Cùm enim Christus mandatum illud (de edendo corpore suo, &c.) in mensa, & in Cœna dederit, dubium esse non potest, quin de vero naturali pane, & de vero naturali vino, atque de manducatione, quæ ore fit, loquatur: ita vt nulla in vocabulo (panis) metaphora esse possit; quasi Christi corpus spiritualem panem aut spiritualem cibum animæ dicere voluerit. Et Christus ipse præcauere studuit, ne metonymia in vocabulo (corporis) intelligeretur: & ne existimaretur de signo corporis sui, aut tantùm de symbolo, vel de figurato corpore, aut de virtute corporis sui, seu de beneficijs, quæ oblatione corporis sui nobis promeruit, agere. Disertè enim loquitur de vero, essentiali, & substantiali suo corpore, quod in mortem pro nobis tradidit, & de vero, substantiali sanguine suo, quem

pro nobis in ara crucis, in remissionem peccatorum effudit.

Atqui nullus potest esse tam fidelis aut idoneus atque doctus interpres verborum Iesu Christi, quàm ille ipse Christus Dominus, qui sua verba illa certissima, suam mentem atque sententiam omnium optimè intelligit, atque ad eam dextrè declarandam intelligentia & sapientia instructissimus est. Hic in declaratione imprimis vltimæ suæ voluntatis, Testamenti, & perpetui fœderis atque coniunctionis, non figuratis, non ambiguis, sed proprijs, simplicissimis & disertis verbis vti voluit: quemadmodum etiam in alijs fidei articulis ponendis & confirmandis, atque in signis gratiæ & pacti, seu Sacramentis instituendis (verbi gratia in circumcisione, in constituendis olim Sacrificijs veteris Testamenti, posteà verò in Baptismi institutione (non verbis obscuris, figuratis, aut ambiguis vti solitus est, Et, vt omnem ambiguitatem caueret, satis mentem suam declarauit, cùm de corpore suo in sacra Cœna exhibendo, dixit: quod pro vobis datur: & de sanguine: qui pro vobis effunditur. Et cùm Apostoli hæc ipsius verba simplicissimè acciperent, relinquit eos in hac propria & simplice sententia, ac mandat illis, vt omnes gentes ad eum modum doceant: iubeantq; eas obseruare, quæ ipsis, Apostolis, à Christo præcepta erant.

Matth. 26. *Marc. 14.* *Luc. 22.* *1. Cor. 11.* Qua de causa etiam tres Euangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, & D. Paulus, qui institutionem Cœnæ Dominicæ ab ipso Christo, post ascensionem ipsius acceperat, vnanimi consensu, ijsdem verbis & syllabis, hæc clara, firma, perspicua, & vera verba Christi, HOC EST CORPVS MEVM, prorsus eodem modo de benedicto & distributo pane, sine omni tropo, figura, aut variatione, recitant. Itaq; dubium esse non potest, quin & de altera parte Sacramenti hæc verba (Hic calix est Nouum Testamentum in meo sanguine)

in Euan-

in Euangelista Luca & Paulo nullam aliam sententiam habeant, quàm verba Matthæi & Marci: qui dicunt: Hoc, quod ore ex calice bibitis: est sanguis meus, Noui Testamenti: quo, videlicet, hoc Testamentum meum & Nouum fœdus, videlicet, remissionem peccatorum, vobis hominibus sancio, ferio, obsigno & confirmo.

Sed & hæc repetitio, confirmatio, & declaratio verborum Christi, quam D. Paulus ponit (vt clarissimum veræ substantialis præsentiæ, & distributionis corporis & sanguinis Christi in Cœna testimonium) singulari diligentia & accuratè est expendenda. Sic enim ait: Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? His enim Apostoli verbis docemur, quòd non modò calix ille, cui Christus in prima Cœna benedixit, & non modò panis, quem Christus fregit & distribuit, sed etiam panis, quem nos frangimus, & calix, cui nos benedicimus, sint corporis & sanguinis Christi, communicatio: ita quidem, vt omnes, qui hunc panem edunt, atque è calice bibunt, verè accipiant atque participent verum corpus, & verum sanguinem Christi. Etenim, nisi corpus Christi verè & substantialiter, sed duntaxat virtute & efficacia sua præsens esset, & sumeretur, panis non corporis, sed Spiritus, virtutis & beneficiorum Christi communicatio dici debuisset, quemadmodum etiam Apologia prorsus eadem ratione in hoc ipso negotio argumentatur & statuit. Et sanè si D. Paulus duntaxat de spirituali communicatione corporis Christi, quæ per fidem fit, ageret, (vt Sacramentarij hoc Paulinum dictum suo more depranare solent) non dixisset, panis, sed spiritus, aut fides est communicatio corporis Christi: At Apostolus affirmat, panem esse communicationem corporis Christi, quòd, videli-

1. Cor. 10.

videlicet, omnes, qui participant benedictum panem, etiam corporis Christi participes fiant. Ex eo ergo hoc conficitur, Paulum haudquaquam de spirituali, sed de Sacramentali seu ea, quæ ore fit, participatione corporis Chtisti loqui, quæ pijs & impijs, titulo duntaxat Christianis, communis est.

Hanc piam nostram sententiam etiam ratio & circumstantiæ concionis illius Paulinæ confirmant. Eos enim, qui de Idolothytis edebant, & Ethnicis cultibus diabolicis communicabant, nihilominus autem etiam ad mensam Domini accedebant, & corporis & sanguinis Christi participes fiebant, Paulus à tanto facinore deterret, & admonet, ne sibijpsis ad iudicium & damnationem corpus & sanguinem Christi sumant. Cùm enim omnes illi, qui benedicti & distributi panis in sacra Cœna participes fiunt, etiam cum corpore Christi communicationem habeant, profectò D. Pauli verba non possunt accipi de spirituali communicatione cum Christo, qua nemo abuti vnquam potest, & à qua homines non sunt deterrendi.

Quare Patres & pij Maiores nostri, D. Lutherus & alij sinceri Doctores Augustanæ Confessionis, hoc D. Pauli dictum eiusmodi verbis declarant, vt cum verbis Christi optimè consentiat: vt cùm ad hunc modum id explicant: Panis, quem frangimus, est corpus CHRISTI distributum, seu communicatum corpus Christi, quod inter eos distribuitur, qui fractũ panẽ accipiunt.

In hac simplici & solidè fundata explicatione luculenti illius testimonij Paulini magno consensu acquiescimus. Et non iniuria miramur, quòd audaces homines reperiantur, qui, cùm ipsi ante hæc tempora Sacramentarijs hoc Pauli dictum opposuerint, nunc illud ipsum pro fundamento erroris sui (quòd videlicet corpus Christi in Cœna spiritualiter tantummodò sumatur) ponere non erubescant. Sic enim loquuntur.

1. Cor. 10.

Panis

Panis est comunicatio corporis Christi, hoc est, id, quo fit societas cum corpore Christi, q̃ est Ecclesia: seu, est medium, per quod fideles vnimur Christo: sicut verbum Euangelij fide apprehensum, est medium, per quod Christo spiritualiter vnimur, & corpori Christi, quod est Ecclesia, inserimur.

Quòd autem non tantùm pij & credentes in Christum, verùm etiam indigni, impij, hypocritæ (verbi gratia: Iudas, & huius farinæ homines, qui nullam prorsus spiritualem cum Christo communicationem habent, & sine vera pœnitentia atq; conuersione ad DEVM, ad Cœnam DOMINI accedunt) etiam verum corpus, & verum sanguinem Christi, ore, in Sacramento sumant, & grande scelus, indignè edendo & bibendo, in corpus & sanguinem Christi admittant, id D. Paulus expressè docet, cùm affirmat, quòd ij, qui indignè de illo pane edunt, & de calice DOMINI bibunt, rei fiant non tantùm panis & vini, non tantùm signorum & symbolorum, aut figuræ corporis & sanguinis: sed quòd rei sint corporis & sanguinis IESV CHRISTI, quem in sacra Cœna præsentem contumelia atq; ignominia afficiunt: sicut Iudæi, qui ipso facto & opere (indignis modis Saluatorem tractantes) in corpus CHRISTI horribiliter peccârunt, & CHRISTVM occiderunt. Sic enim antiquissimi, pij & eruditi Doctores Ecclesiæ hoc Pauli dictum intellexerunt: & magno consensu in hanc sententiam sunt interpretati. *1. Cor. 11.*

Duplex igitur est manducatio carnis Christi. Vna spiritualis, de qua præcipuè Christus in Euãgelista Ioanne, capite sexto, agit: quæ non alio modo, quàm spiritu & fide in prædicatione & meditatione Euangelij fit, non minùs, quàm cùm Cœna Domini dignè, & in fide, sumitur. Hæc spiritualis manducatio per se vtilis & SALVTARIS est, OMNIBVSQVE Christia- *Iohan. 6.*

nis, & quidem OMNIBVS temporibus ad salutem NECESSARIA est: sine qua spirituali participatione Sacramentalis illa, aut quæ ore duntaxat fit, manducatio in Cœna non modò accipientibus non salutaris, sed noxia etiam & damnationis causa esse solet.

Spiritualiter igitur manducare nihil aliud est, quàm CREDERE prædicato verbo Dei, in quo nobis Christus verus Deus & homo, cum omnibus beneficijs, quæ carne sua, pro nobis in mortem tradita, & sanguine suo pro nobis effuso, promeruit, offertur, videlicet, gratia & clementia Dei, remissio peccatorum, iustitia, & vita æterna. Hæc qui ex verbo Dei commemorari audit, fide accipit, sibiq; applicat, & hac consolatione totus nititur (quòd Deum placatum, & vitam æternam, propter mediatorem Iesum Christum habeamus:) qui, inquam, vera fiducia in verbo Euangelij firmiter, in omnibus tribulationibus & tentationibus, acquiescit: hic spiritualiter Corpus Christi edit, & sanguinem eius bibit.

Altera verò manducatio corporis Christi, est Sacramentalis, & ore fit, quando in sacra Cœna verum, & substantiale corpus & sanguis Christi, ore accipiuntur atque participantur: ab omnibus, qui panem illum benedictum, & vinum in Cœna Dominica, edunt & bibunt. Ac pij quidem corpus & sanguinem Christi in certum pignus & confirmationem accipiunt, quòd peccata ipsis certò sint remissa, & quòd Christus in ipsis habitet atq; efficax esse velit. Impij verò idem corpus & eundem sanguinem CHRISTI etiam ore suo, sed ad iudicium & damnationem sumunt. Hoc Christi verba, quibus Cœnam instituit, expressè docent. In prima enim Cœna mensæ assidens, discipulis suis naturalem panem, & naturale vinum porrigit: & de ijs pronunciat, verum esse corpus, & sanguinem suum: & iubet eos edere & bibere. Ergo illud Christi

man-

mandatum, consideratis diligenter omnibus circumstantijs, non potest nisi de orali, non autem de crassa, carnali, Capernaitica, seu de supernaturali & incomprehensibili manducatione corporis Christi intelligi. Ad hanc manducationem, quæ ore fit, Christus mandato suo etiam alteram requirit: cùm inquit: Hoc facite in mei commemorationem: hîc enim FIDEM (quæ est spiritualis corporis Christi participatio) postulat.

Quare tota erudita & pia antiquitas (secundùm hæc verba institutionis Christi, & explicationem Pauli) expressè, & cum tota Catholica Ecclesia magno consensu, docuit, quòd corpus Christi non tantùm spiritualiter, fide (quod etiam extra vsum Sacramenti fieri potest) verùm etiam ore, non modò à credentibus, sed & ab indignis, infidelibus, hypocritis, nomine dumtaxat Christianis, accipiantur. Quæ antiquitatis testimonia recitare, hoc loco nimis esset prolixum: quare Lectorem ad nostrorum scripta, in quibus hæc copiosè tractata sunt, remittimus.

Ex his manifestum est, quàm iniquè, virulentis sarcasmis Sacramentarij Domino nostro Iesu Christo & D. Paulo, totiq; Ecclesiæ insultent: qui oralem & indignorum manducationem vocant, duos pilos caudæ equinæ: & commentum, cuius vel ipsum Satanam pudeat: doctrinam verò de Maiestate Christi EXCREMENTVM Satanæ, quo diabolus sibijpsi & hominibus illudat, appellare ausi fuerint. Hæc adeò horrenda sunt, vt homo Christianus ea sine horrore non recitare possit.

Accuratè autem hoc etiam declarandum est, quinam sint indigni conuiuæ, in hac sacra Cœna. Hi nimirum, qui sine vera pœnitentia & contritione, & sine vera fide, & absque bono proposito vitam emendandi, ad cœnam Domini accedunt. Hi sibijpsis iudicium,

hoc est, temporales & æternas pœnas indignâ suâ orali manducatione corporis Christi accersunt: & corporis atq; sanguinis CHRISTI rei fiunt.

Digni verò conuiuæ in Cœna Domini sunt, infirmi in fide, pusillanimes, perturbati Christiani, qui dum magnitudinem & multitudinem peccatorum suorum secum reputant, cohorrescunt: qui magnam suam immundiciem considerantes, hoc preciosissimo thesauro, & beneficijs Christi indignos sese iudicant: qui fidei suæ infirmitatem sentiunt atq; deplorant, & nihil magis in votis habent, quàm vt Domino Deo firmiore & alacriore fide, & puriore obedientia seruire possint. Hi (vt diximus) sunt verè digni illi conuiuæ, in quorum gratiam, & quibus recreandis inprimis hoc augustissimum sacramentum & sacrum conuiuium est institutum. Christus enim eiusmodi homines benignissimè inuitat, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Et alibi ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Et Apostolus inquit: Virtus mea (dicit Dominus) in infirmitate perficitur. Et ad Romanos scribit: Infirmum in fide assumite: & paulò pòst: Deus eum assumsit. Quisquis enim in filium Dei crediderit, siue is firma siue infirma fide præditus fuerit, habet vitam æternam.

Matth. 11.
Matth. 9.
2. Cor. 12.
Rom. 14.
Iohan. 3.

Dignitas igitur neque in magna, neque in exigua infirmitate aut firmitate fidei, sed in merito Christi cõsistit. Huius fructum infirmus ille in fide angustiq; animi parens, qui opem Christi in curando filio miserrimo implorabat, non minùs, quàm Patriarcha Abraham, Apostolus Paulus, & alij, qui robustam fidem habuêre, participat.

Marc. 9.

Et hæc de vera præsentia & duplici manducatione corporis & sanguinis Christi, quæ aut fide spiritualiter,

aut

tutore fit (quæ posterior dignis & indignis communis est) dicta sunt.

Cvm verò etiam de Consecratione, & de vsitata illa regula (Nihil habet rationem Sacramenti extra vsum seu actionem diuinitùs institutam) dissensiones quædam inter aliquos Augustanæ Confessionis Theologos, inciderint: de his etiam duobus capitibus vnanimem & pium nostrum consensum declarare visum est. Ac de priore illa quæstione, quæ est de Consecratione, sentimus: quòd veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna non efficiat, vllius hominis vel verbum, vel opus, dignitas, seu meritum, siue pronunciatio ministri: seu manducatio, seu fides communicantium: horum nullum nobis corpus & sanguinem Christi præsentia facit. Sed hoc totum, quòd in Cœna Christi corpus præsens habemus, simpliciter, & in solidum omnipotentis Dei virtuti, & verbo, institutioni, atq; ordinationi Domini nostri Iesu Christi est adscribendum.

Verissima enim illa & omnipotentia verba Iesu Christi, quæ in prima institutione pronunciauit, non modò in prima illa Cœna efficacia fuêre: sed eorum vis, virtus, & efficacia adhuc hodie durant & valent: ita quidem certè, vt eorum virtute in omnibus locis, vbi Cœna Domini iuxta Christi institutionem celebratur, & verba ipsius vsurpantur, virtute & potentia eorum verborum, quæ Christus in prima Cœna locutus est, corpus & sanguis Christi verè præsentia distribuantur & sumantur. Christus ipse enim (vbi ipsius institutio obseruatur, & verba eius super pane & vino recitantur, & benedictus panis & vinum benedictum distribuuntur) per verba illa recitata, VIRTVTE PRIMAE INSTITVTIONIS, hodie etiam, verbo suo, quod repeti vult, efficax est. Hanc piam nostram sententiam Chrysostomus his verbis confirmat. *De proditione Iudæ*

Et

Hom. 7. sine de passione. Et nunc (inquit) illi præsto est Christus, qui illam ornauit mensam, ipse istam quoq; consecrat. Non enim homo est, qui proposita, panem & vinum, corpus Christi facit & sanguinem: sed ille, qui crucifixus pro nobis est, Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia. Hoc est, ait, corpus meum: hoc verbo proposita elementa in Cœna consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dicit: Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum, ad generationem operante natura: ita & vox illa (hoc est corpus meum: hic est sanguis meus) semel quidem dicta est: sed per omnes mensas Ecclesiæ, vsq; ad hodiernum diem, & vsq; ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.

Tom. 6. Ie. fol. 99. D. Lutherus de hac ipsa re ad eundem modum scribit: Hæc illius iussio & institutio possunt hoc præstare, & efficiunt, vt non nudum tantùm panem & vinum, verùm etiam corpus & sanguinem ipsius distribuamus & accipiamus. Sic enim verba ipsius habent: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Itaq; non opus nostrum, non pronunciatio nostra, sed mandatum & ordinatio Christi efficiunt, vt panis sit corpus, & vinum sit sanguis Christi: idq; iam inde à prima institutione Cœnæ, vsq; ad finem mundi fieri solet: nostro autem ministerio hæc quotidie distribuuntur.

Tom. 3. Ien. fol. 446. Item alibi: Sic & hic fit: Etiamsi de omnibus panibus hæc verba pronunciarem: Hoc est corpus Christi, nihil tamen ea re efficeretur. At quando ad ipsius mandatum & institutionem in administratione Cœnæ Dominicæ dicimus: hoc est corpus meum: tùm reuera est ipsius corpus. Non propter nostram pronunciationem: aut, quòd hæc verba pronunciata hanc habeant efficaciam: sed quia Christus nobis præcipit, vt hæc verba pronunciemus, & hoc agamus, quod ipse in prima cœna fecit; & hoc modo suum mandatum & factum cum recitatione nostra coniunxit.

Et

Et quidem verba institutionis Christi in administratione Cœnæ Dominicæ palàm coram Ecclesia disertè & clarè recitentur, aut decantentur: neq; vlla ratione intermittantur: idq; plurimis & grauissimis de causis. Primùm quidem, vt satisfiat & pareatur Christi mandato, qui inquit: Hoc facite: non igitur omittendum est, quod Christus ipse in sacra Cœna fecit. Deinde, vt auditorum fides, de substantia & fructu huius Sacramenti (de præsentia corporis & sanguinis Christi, & de remissione peccatorum, omnibusq; beneficijs, quæ nobis Christi morte, & sanguinis profusione parta sunt, & nobis in Testamento Christi donantur) per verba Testamenti Christi excitetur, confirmetur, & quàm certissima reddatur. Præterea, vt elementa panis & vini, ad hunc sacrum vsum (quo videlicet nobis vna cum illis Christi corpus manducandum, & sanguis eius bibendus exhibeatur) sanctificentur seu benedicantur, vt D. Paulus inquit: Calix benedictionis, cui benedicimus, &c. hæc autē benedictio non alia ratione fit, quàm verborum institutionis repetitione & recitatione.

Hæc tamen benedictio seu recitatio verborum institutionis Christi sola, non efficit Sacramentum, si non tota actio Cœnæ, quemadmodum ea à Christo ordinata est, obseruetur. Verbi gratia: cùm benedictus panis non distribuitur, sumitur, aut participatur: sed vel includitur, vel sacrificatur, vel circumgestatur, Mandatum enim Christi, (Hoc facite) quod totam actionem complectitur, totum & inviolatum obseruandum est. Ad huius autem Sacramenti administrationem requiritur, vt in conuentu aliquo piorum hominum panis & vinum benedictione consecrentur, dispensentur, sumantur, hoc est, edantur & bibantur, & mors Domini annuncietur. Ad hunc enim modum D. Paulus totam actionem, in qua panis frangitur, seu distribuitur & sumitur, ob oculos nobis proponit. 1. Cor. 10.

Acce-

Accedamus iam etiam ad alterum caput, de quo paulò antè mentio est facta. Vt vera & pia doctrina de Cœna Domini sincera conseruaretur: & multiplices Idololatrici abusus atq; corruptelæ huius sacrosancti Testamenti Christi vitarentur, & abolerentur: vtilis hæc regula & normá ex verbis institutionis Cœnæ desumta est: Nihil habet rationem Sacramenti extra vsum à Christo institutum: seu extra actionem diuinitùs institutam. Hæc regula nequaquam reijcienda est: magno enim cum fructu in Ecclesia Christi retineri potest & debet. Vocabula autem (vsus seu actio) in hoc negocio propriè non significant fidem, nec solam manducationem, quæ ore fit: sed totam externam visibilem actionem Cœnæ Dominicæ à Christo institutam. Ad eam verò requiritur: Consecratio, seu verba institutionis: distributio & sumtio, seu externa, quæ dicitur, oralis manducatio benedicti panis & vini: item corporis & sanguinis Christi perceptio. Et, cùm extra hunc vsum, panis in Missa Pontificia non distribuitur, sed vel offertur, vel includitur, vel circumgestatur, aut adorandus proponitur, non est ille pro Sacramento agnoscendus. Quemadmodum etiam aqua Baptismi, si ad campanas baptizandas, aut ad curandam lepram adhiberetur, aut adoranda proponeretur, nullam haberet Sacramenti (Baptismatis) rationem. Huiusmodi Pontificijs abusibus hæc regula initiò renascentis Euangelij opposita, & ab ipso D. Luthero piè declarata est.

Tom. 4. Ien.

Interim tamen dissimulare non debemus, quòd Sacramentarij hanc vtilem & necessariam regulam vafrè, subdolè, & malitiosè ad negandam veram & substantialem præsentiam, & oralem manducationem corporis Christi (quæ hîc in terris fit, & dignis atq; indignis communis est) falsa interpretatione deprauent. Interpretantur enim eam de spirituali vsu FIDEI interno,

ac sen-

ac sentiunt, sumtionem cœnæ Dominicæ indignis non esse Sacramentum: & fieri communicationem corporis Christi, tantummodò spiritualiter per fidem: aut fidem hoc præstare, vt corpus Christi in cœna præsens sit. Inde porrò colligunt, indignos, infideles, hypocritas, corpus Christi nec præsens habere, nec accipere.

Atqui fides nostra Sacramentum non efficit: sed tantùm Omnipotentis Dei atque saluatoris nostri Iesu Christi certissimum verbum & institutio hoc præstant. Verbum enim Domini in Ecclesia efficax est manetq; neq; vel dignitate vel indignitate ministri, neq; sumentis incredulitate quicquam ei derogatur, aut virtus eius eneruatur. Sanctum Christi Euangelion est, permanetq; Euangelion, etiamsi impij quidam auditores nullam illi fidem adhibeant, in quibus etiam illud non est efficax ad salutem: idem etiam fit in sumtione Sacramenti: vt Christus in verbis suis (Accipite, edite, hoc est corpus meum) verax maneat, siue communicantes in ipsum credant, siue non credant: præsentiam enim corporis & sanguinis sui non per nostram fidem, sed per omnipotentiam suam efficit.

Quare perniciosus error est, quem aduersarij impuléter defendũt, & subdola deprauatione vsitatæ huius regulæ, plus fidei nostræ (quippe quæ, ipsorũ opinione, corpus Christi præsens nobis sistat, atque participet) quàm omnipotentiæ Domini atque saluatoris nostri Iesu Christi, adscribunt.

Iam quod ad Sacramentariorum varia & imaginaria fundamenta atque futiles obiectiones attinet, quas illi de essentialibus & naturalibus humani corporis proprietatibus, de ascensu Christi ad cœlos, & de ipsius ex hoc mundo discessu, & si quæ sunt his similia, adferunt: hæ nugæ, inquam, omnes & singulæ, argumentis è verbo Dei desumtis, solidè, neruosè, & copiosè à D. Luthero in Polemicis ipsius scriptis refutata

ſunt. Quare pium Lectorem (breuitatis ſtudio) ad illius ſcripta remittimus. In his autem principem locum habent, Libellus, quem contra cœleſtes Prophetas (vt tum vocabantur) edidit: & aliud opuſculum, cuius inſcriptio eſt: Quòd verba (hoc eſt corpus meum) adhuc firma conſtent: item, maior ipſius, & minor (poſt aliquot annos) edita Confeſſio de Cœna Domini: & alia præterea eiuſdē de hoc negotio euulgata opuſcula. Neq; enim fanatici Spiritus à morte D. Lutheri vllum nouum argumentum in medium attulerunt.

D. Lutherus in maiori ſua de Cœna Domini Confeſſione.

Quòd autem nullis argumentis ab hominibus argutè excogitatis, vtcunq; rationi blandiantur, abduci nos patimur, nec pati vel volumus, vel poſſumus, vel debemus a perſpicua, ſimpliciſſima, & clara verborum Teſtamenti Chriſti ſententia, in aliam opinionem, quæ ab expreſſis verbis CHRISTI recedit: ſed ſimpliciter potiùs ea intelligimus & credimus: hæc noſtra ſunt fundamenta, quibus hactenus, poſt motam controuerſiam in hoc articulo, conſtanter nixi ſumus: quæ etiam D. Lutherus initio exortæ huius diſſenſionis contra Sacramentarios, ſequentibus verbis poſuit: Mea fundamenta, quib. in hoc negotio nitor, hæc ſunt:

I. Primum, eſt hic articulus fidei: Ieſus Chriſtus eſt ſubſtantialis, naturalis, verus, perfectus Deus & homo, in vna perſona indiuiſus & inſeparabilis.

II. Secundum, quòd dextera Dei eſt vbiq;.

III. Tertium, quòd verbū Dei neq; falſum eſt neq; fallax.

IIII. Quartum, quòd Deus varios modos habet, nouitq;, quibus aliquo in loco eſſe poteſt: neq; vno illo tantùm modo contentus eſſe cogitur, de quo fanatici homines nugantur, quem Philoſophi localem vocant.

Et Chriſti vnicum corpus (inquit Lutherus) tribus modis ſeu triplici ratione poteſt alicubi eſſe.

Primò, comprehenſibili & corporali ratione: quali

visus est, cùm in his terris corporaliter conuersaretur: cum certo loco secundùm quantitatē suā circumscriberetur. Hoc modo etiam hodie vti potest, quoties ipsi visum fuerit: id quod post resurrectionem suam aliquoties fecit: & in nouissimo die tali ratione præsentiæ sese manifestabit: sicut Paulus de Christo docet, inquiens: Quem suis temporibus OSTENDET beatus, & solus potens, rex regum, & Dominus dominantium. Et ad Colos. ait: Cùm Christus APPAREBIT, vita vestra, &c. Hoc modo non est in Deo, aut apud Patrem, aut in cœlis: sicut fanaticus ille spiritus somniat. Deus enim non est corporalis locus. Et de hoc modo agitur in illis scripturæ dictis, quæ à fanaticis hominibus adferuntur: quòd, videlicet, Christus mundum reliquerit, & ad patrem iuerit.

1. Tim. 6.

Colos. 3.

Deinde alio incomprehensibili & spirituali modo alicubi esse potest, vt loco nō circumscribatur, sed per omnes creaturas penetret, pro liberrima sua voluntate: quemadmodum (vt crassa quadam similitudine rem vtcunq; adumbrem) visus meus per aërem, lumen, aut aquam penetrat, atque in ijs rebus est; neq; tamen loco circumscribitur. Et quemadmodum sonus per aquam, aërem, asserem, aut parietem transit, & in ijs rebus est: neq; tamen loco circumscribitur. Eodem modo etiam lux & calor per aërem, aquam, vitrum, crystallum, & per similes materias penetrant, & in ijs rebus sunt: nec tamen loco circumscribuntur: & quidem eius rei multæ comparationes adduci possent. Hoc modo vsus est CHRISTVS, cùm resurgens è sepulchro clauso & obsignato prodiret: & quando per ianuas clausas ad discipulos ingrederetur: & sicut est in pane & vino Cœnæ: atque hoc modo creditur de sanctissima virgine Maria, matre sua, natus esse.

Præterea alicubi esse potest diuino & cœlesti modo, secundùm quem cum Deo vna est persona. Ea ratione

creaturæ longè illi præsentiores & penetratu faciliores sunt, quàm iuxta secundum modum. Si enim iuxta illum secundum modum potest esse in creaturis, & apud creaturas, vt tamen ipsum non sentiant, tangant, circumscribant, aut comprehendant; multò profectò magis secundùm hunc tertium, admirandũ, sublimem modum in omnibus creaturis, multoque mirabilius erit: vt ipsum non includant, circumscribant, aut comprehendant: sed potiùs, vt ipsas præsentes habeat, circumscribat, & comprehendat. Hunc enim præsentiæ Christi modum, quem ex vnione personali cũ Deo habet, longissimè extra creaturas, quàm longè videlicet Deus extra creaturas est, ponere te oportet. Rursus autem tam profundè & propè eundẽ modum in omnes creaturas, quàm profundè & propè Deus in omnibus creaturis est, pones. Est enim vna inseparabilis persona cum Deo: vbi igitur Deus est: ibi ipsum quoq; esse, aut fidem nostram falsam esse oportet. Quis autem explicare, aut saltem cogitationibus suis assequi poterit, quomodo hoc fiat? Scimus quidem rem reuera ita se habere: quòd videlicet sit in Deo extra omnes creaturas, & cum ipso vna sit persona: modum autem quo ista fiant, ignoramus. Excedit hoc mysterium naturam, & rationis humanæ, imò etiam Angelorum in cœlis captum; soli Deo notum est. Cùm igitur hoc arcanum nobis incomprehensum, & tamen verissimum sit, non decet nos ipsius verbo contradicere, nisi firmis argumentis probare possimus, quòd Christi corpus nequaquam ibi esse valeat, vbi Deus est, & quòd hic modus præsentiæ confictus sit. Hoc fanaticis illis hominibus probandum incumbit: sed nunquam id præstabunt.

An verò Deus etiam plures modos habeat & nõrit, iuxta quos Christi corpus alicubi sit, ego haudquaquam negauerim. Hoc saltem indicare volui, quàm

crassi

ssi & stupidi homines sint fanatici illi, qui Christi corpori non nisi vnicum illum, primum & comprehensibilem præsentiæ modum tribuunt. Sed neq; de illo modo probare poterunt, quòd cum nostra sententia pugnet. Ego enim nunquam asserere velim, quòd potentia Dei non efficere valeat, vt vnum corpus simul in pluribus locis, etiam corporali & comprehensibili modo, adesse possit. Quis enim & quibus argumentis euincet, quòd hoc Deo sit IMPOSSIBILE? Quis potentiæ ipsius finem deprehendit? Fanatici quidem id cogitant: Hoc Deus præstare non potest: sed quis ipsorum cogitationibus credat, & quo argumentorum genere has cogitationes suas confirmabunt? Hactenus Lutherus.

Ex his D. Lutheri verbis etiam manifestum est, in qua significatione vocabulum (Spiritualiter) in Ecclesijs nostris, quo ad hoc negocium, vsurpetur. Vocabulum enim (Spiritualiter) Sacramentarijs nihil aliud significat, quàm spiritualem illam communionem: quando nimirùm, per fidem, in Spiritu verè credentes Christo Domino incorporantur, & reuerà spiritualia membra corporis eius fiunt.

Cùm verò D. Lutherus, aut nos vocabulo (Spiritualiter) in hoc negotio vtimur, intelligimus spiritualem, supernaturalem, cœlestem modum, secundùm quem Christus in sacra Cœna præsens est: & non tantùm in credentibus consolationem & vitam, verùm etiam in infidelibus iudicium efficit. Et quidem per vocabulum illud (Spiritualiter) Capernaiticas illas imaginationes, de crassa & carnali præsentia excludimus & reijcimus: quæ Ecclesijs nostris per Sacramentarios, post tot publicas nostras protestationes, affingu-tur. Et in ea sententia intelligi volumus vocabulum (Spiritualiter,) cùm dicimus, corpus & sanguinē Christi in

I.

I.

IIV

IIIV

II.

III.

sti in sacra Cœna spiritualiter accipi, edi & bibi. Tametsi enim participatio illa ore fiat: tamen modus spiritualis est.

Fides igitur nostra in hoc articulo de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna, super veri & omnipotentis Dei, Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi VERITATEM & OMNIPOTENTIAM est fundata & extructa. Hæc fundamenta ita solida atq; immota sunt, vt & fidem nostram in omnibus tentationibus (quæ de hoc articulo incidere possunt) confirmare & stabilire: & omnes Sacramentariorum obiectiones & argutias, vtcunq; speciosæ sint, & humanæ rationi plurimùm blandiantur, refutare & euertere, & pijs animis per omnia sufficere, & præsentissimam consolationem & fiduciam afferre possint.

QVARE reijcimus & damnamus corde & ore, vtpote fallaces & fraude plenos, omnes errores, qui rectatæ iam sanæ doctrinæ, & in sacris literis fundatæ, aduersantur & repugnant.

I. Pontificiam Transsubstantiationem: cùm docetur, quòd panis & vinum, si consecrata seu benedicta fuerint, in sacrosancta Cœna, substantiam & essentiam suam penitus amittant, & in substantiam corporis & sanguinis Christi conuertantur: ita quidem, vt sola externa species panis & vini, sive accidentia sine subiecto, reliqua maneant. Et quòd fingunt, corpus Christi sub specie panis (qui tamen panis ipsorum opinione iam non ampliùs est panis, sed naturalem suam essentiam amisit) reuera præsens esse, etiam extra actionē Cœnæ Dominicæ: cū videlicet panis in sacramento inclusus adseruatur, aut in solenni theatrica pompa adorandus ostentatur & circumgestatur. Nihil enim rationem Sacramenti habere potest, extra mandatum Dei, & vsum à Christo institutum: vt supra monuimus.

I. Repudiamus & damnamus etiam, omnes alios Pontificios

ficios abusus huius Sacramenti: inprimis verò abominationem sacrificij Missæ, pro viuis, & defunctis.

III. Quòd Laicis (vt vocant) vna tantùm Sacramēti species siue pars (& quidē contra expressum mandatum & clarā institutionē Christi) porrigitur. Et sanè hi alijq; plurimi Pontificij abusus, in Ecclesijs nostris, in communi illa Confessione & Apologia, in Smalcaldicis articulis, & alijs nostrorū scriptis, solidè verbo Dei, & eruditæ atq; pię antiquitatis testimonijs, refutati & reiecti sunt.

Cùm autem in hoc scripto præcipuè confessionē & declarationē nostrā de vera præsentia corporis & sanguinis Christi, contra Sacramētarios (quorū aliqui sub Augustanæ Confessionis titulo in Ecclesias nostras sine fronte sese ingerunt) proponere voluerimus: eam ob causam Sacramentariorum errores præcipuè hoc loco recitare & commemorare visum est, eo fine, vt auditores nostri eos agnoscere & cauere possint.

IV Reijcimus igitur atq; damnamus corde & ore, vt falsas & impostura plenas, omnes Sacramentariorum opiniones, & dogmata, quæ suprà commemoratæ, & in verbo Dei fundatæ doctrinæ non consentiunt, sed aduersantur & repugnant.

I. Cùm docetur: quòd verba institutionis non simpliciter in propria sua significatione, vt sonant, de vera substantiali corporis & sanguinis CHRISTI præsentia in Cœna Domini, accipienda, sed per tropos & figuratas significationes in alienam & nouam sententiam sint torquenda. Et hoc loco omnes Sacramentariorum opiniones eiusmodi, quarum aliquæ inter se etiā pugnāt (quot aut quàm variæ illæ sint) reijcimus.

II. Quòd oralis sumtio corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna à Sacramentarijs negatur: eiq; opponitur, quòd corpus Christi in Cœna spiritualiter tantū, per fidem accipiatur: ita quidem, vt ore in sacra Cœna tantùm panem & vinum edamus atq; bibamus.

III. Quòd docetur, panē & vinū in Cœna Domini nihil

IIII. aliud esse, nisi notas quasdam professionis, quibus Christiani se invicem agnoscant. Vel, quòd panis & vinum sint tantùm figuræ, symbola, typi, ac similitudines longissimè absentis corporis Christi: ea quidem ratione, quòd vt panis & vinum sunt cibus externus nostri corporis, ita absens corpus Christi, vnà cum ipsius merito, sit animæ nostræ cibus spiritualis.

V. Quòd panis & vinum non sint nisi symbola aut signa memorialia absentis corporis Christi, quibus signis, tanquam externo pignore confirmemur, quòd fides illa (quæ à Cœnâ sese auertit, & supra omnes cœlos ascendit,) sursum nõ minùs verè corporis & sanguinis Christi particeps fiat, quàm reuera in Cœna Domini ore externa symbola accipimus. Et, quòd hoc modo fides nostra in sacra Cœna, tantummodò per externa symbola, non autem per verum, præsens, & nobis exhibitum, corpus & sanguinem Christi, obsignetur & confirmetur.

VI. Quòd in Cœna Domini, FIDEI tantummodò virtus, operatio, & meritum longè absentis corporis Christi distribuantur & communicentur: vt hac ratione ABSENTIS corporis Christi participes fiamus, & quòd iuxtà hunc modum, vnio Sacramentalis sit intelligenda: videlicet, de analogia signi & signati: quatenus, nimirum, corpus & sanguis Christi, cum pane & vino aliquid similitudinis habent.

VII. Quòd corpus & sanguis Christi spiritualiter duntaxat, per fidem sumatur & participetur.

VIII. Quòd Christus propter ascensum suum in cœlos, corpore suo, in certo quodam cœli loco ita sit comprehensus & circumscriptus, vt suo corpore nobiscum in sacra Cœna (quæ iuxta institutionem Christi in terris celebratur) verè & substantialiter præsens esse, neq; possit, neq; velit: sed potiùs tam longè à sacra Cœna absit, quantũ altissimũ cœlum à terris distat. Sic

enim

enim quidam Sacramentarij verba illa in actis Apostolicis (oportet Christum cœlum accipere) de industria malitiosè (ad confirmandum errorem suum) deprauârint: & loco sinceræ translationis hæc verba reposuerint: Oportet Christum cœlo CAPI: quæ verba significant, Christum ita in cœlum receptum, vt cœlo circumscribatur & comprehendatur: vt nobiscum in terris, humana sua natura nullo prorsus modo, præsens esse possit, aut velit. *Actor. 3.*

IX. Quòd Christus veram substantialem præsentiam corporis & sanguinis sui in sacra sua Cœna neque promiserit, neque præstare possit aut velit: cùm ipsius natura, & proprietas assumtæ suæ humanitatis id non admittant.

X. Quòd non solùm verbum, & sola Christi omnipotentia, sed fides corpus Christi in Cœna Domini præsens nobis sistat. Vnde quidam verba institutionis in actione Cœnæ Dominicæ non recitant, sed omittunt. Etsi autem Papistica Consecratio (quæ pronunciationi verborum, tanquam operi Sacerdotis, eam vim adscribit, quasi ea Sacramentum efficiat) non iniuria reprehenditur atq; reijcitur: tamen verba institutionis in actione Cœnæ Dominicæ nequaquam omitti possunt aut debent: id quod ex superiore declaratione manifestum est.

XI. Quòd credentes iubentur corpus Christi non cum pane & vino Cœnæ (iuxta Christi institutionem) quærere: sed à pane sacræ Cœnæ, fide sua in cœlum, ad locum illum ablegantur, in quo Christus suo corpore sit: vt ibi eius fiant participes.

XII. Reijcimus etiam hunc errorẽ: cum docetur: quòd infideles & impœnitentes (qui titulo duntaxat Christiani sunt, reuerà autem fidem viuam, veram & saluificam non habent) in Cœna Domini non corpus & sanguinem Christi, sed tantùm panem & vinum accipiant. Et, cùm non nisi duo genera conuiuarum in hoc cœle-

sti conuiuio reperiantur, digni, videlicet, & indigni: reijcimus etiam illud discrimen inter indignos, quod aliqui faciunt, qui asserunt, impios Epicuræos, empactos, & verbi Dei contemtores (qui in externa Ecclesiæ communione sunt) non corpus & sanguinem Christi ad iudicium in vsu Cœnæ, sed tantummodò panem & vinum sumere.

XIII. Et, cùm docetur: dignitatem non tantùm in vera fide, verùm etiam in propria hominis præparatione consistere.

XIV. Similiter, cùm docetur, etiam verè credentes, qui viua & vera fide præditi sunt, eamq; retinent, si tamen ea præparatione propria & sufficiente careant, quam ipsi sibi proposuerunt, hoc sacramentum, tanquam indignos conuiuas, ad iudicium accipere.

XV. Elementa illa, seu visibiles species benedicti panis & vini adorari oportere. Quòd autem Christus ipse, verus Deus & homo, (qui in Cœna sua, in legitimo nimirum eius vsu, verè & substantialiter præsens est) in spiritu & in veritate (quemadmodum etiam omnibus alijs locis, præcipuè verò, vbi Ecclesia ipsius est congregata) adorari debeat: id nemo, nisi Arianus hæreticus negauerit.

XVI. Repudiamus præterea & damnamus omnes curiosas, sarcasmis tinctas & blasphemas quæstiones, atque huius generis sermones, qui crassè, carnaliter & Capernaiticè de supernaturalibus & cœlestibus Mysterijs Cœnæ Dominicæ proferuntur.

Reliquæ antitheses & reiectæ opiniones, quæ cum pia doctrina pugnant, in superiore declaratione reprehensæ atque repudiatæ sunt: eas (quia breuitati studemus) hoc loco repetere noluimus. Si quæ sunt autem, præter hæc, alia falsa & damnata dogmata, eorum diiudicatio ex præmissa copiosa explicatione peti, & (si opus sit) nominatim reprobari possunt. Nos enim

omnia,

omnia, quæ suprà commemoratæ & in verbo Dei benè fundatæ doctrinæ non consentiunt, sed repugnant, reijcimus atq; damnamus.

VIII.
DE PERSONA CHRISTI.

QVARTA est etiam controuersia inter Augustanæ Confessionis Theologos, de persona Christi: quam tamen non ipsi inter se mouerunt, sed ei occasionem Sacramentarij originaliter dederunt. Cùm enim D. Lutherus veram & substantialem corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna præsentiam contra Sacramentarios, è verbis institutionis Cœnæ firmissimis argumentis liquidò probâsset atq; confirmâsset: à Cinglianis illi obiectum est: Si corpus Christi simul in cœlo & in terris, in Cœna Domini, præsens sit: necessariò consequi, illud non esse verum & humanum corpus: talem enim Maiestatem soli Deo tribuendam, corpus verò Christi nequaquam illius capax esse.

Hanc obiectionem D. Lutherus refutauit, eamq; nihil ponderis habere, luculenter, in didacticis & polemicis suis scriptis, de Cœna Domini, quæ Sacramentarijs opposuit, demonstrauit: quæ nos non minùs, quàm didactica huius viri scripta approbamus: idq; publicè testatum esse volumus. Interim, post mortem D. Lutheri, prodierunt quidam Theologi (Augustanam Confessionem profitentes) qui non quidem apertè & manifestè ad Sacramentarios, in negocio Cœnæ Dominicæ transierunt: sed tamen eadem fundamenta falsa, de persona Christi, quibus Sacramentarij veram & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam è Cœna Domini tollere conati sunt: in

medium

medium attulerunt: asserentes, humanæ naturæ in persona Christi, ea non esse tribuenda, quæ sint supra vel etiam contra humanas illius naturales & essentiales proprietates. Atq; super hoc negocio, D. Lutheri piam doctrinam, & vnà omnes illos, qui eam, vtpote verbo Dei conformem, amplexi sunt, omnium propemodum veterum horribilium hæreseon insimulârunt atque accusârunt.

Vt autem hæc controuersia piè, iuxta verbi Dei & fidei nostræ analogiam declaretur, & per gratiam Dei componatur, vnanimi consensu doctrinam, fidem & confessionem nostram de hoc articulo recitabimus.

Credimus, docemus, & confitemur: etsi Filius Dei per se integra & distincta diuinitatis æternæ persona est: adeoq; verus, substantialis, perfectus Deus, cum Patre & Spiritu sancto, ab æterno fuit: quòd tamen (in plenitudine temporis) humanam naturam in vnitatem suæ personæ assumserit, non ita, quasi duæ iam in Christo personæ, aut duo Christi facti sint: sed quòd Christus Iesus iam in vna persona simul verus sit æternus DEVS, ab æterno ex Patre genitus: & verus homo, è laudatissima virgine Maria natus, vt scriptum est: Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.

ROMAN. 9.

Credimus, docemus, & confitemur: iam in vna illa indiuisa persona Christi, duas esse distinctas naturas: diuinam, videlicet, quæ ab æterno est: & humanam, quæ in tempore assumta est in vnitatem personæ filij Dei. Et hæ duæ naturæ in persona Christi nunquam vel separantur, vel confunduntur, vel altera in alteram mutatur: sed vtraque in sua natura & substantia seu essentia (in persona Christi) in omnem æternitatem permanet.

Credimus etiam, docemus, & confitemur: quòd, vt natura vtraq; in sua natura & essentia inconfusa manet,

neque

neque vnquam aboletur, ita etiam vtraq; suas naturales essentiales proprietates retineat, neq; in omnem æternitatem eas deponat: & quòd vnius naturæ proprietates essentiales nunquam alterius naturæ proprietates essentiales fiant.

Credimus autem, docemus, & confitemur: quòd omnipotentem esse, æternum, infinitum, vbiq; simul esse, naturaliter, hoc est, secundùm proprietatem naturæ, & naturalis illius essentiæ, per se vbiq; præsentem esse, omnia nôsse, &c. sint reuerà essentiales naturæ diuinæ proprietates: quæ etiam humanæ naturæ essentiales proprietates in æternum nunquam fiant.

At verò: esse corpoream creaturam, carnem & sanguinem, finitum, & circumscriptum esse, pati, mori, ascendere, descendere, de loco in locum moueri, esurire, sitire, algere, æstu affligi, & si quæ sunt similia: esse proprietates humanæ naturæ statuimus, quæ nunquam proprietates diuinæ naturæ fiant.

Credimus, docemus, & confitemur etiam, quòd iam post factam incarnationem non quælibet natura in Christo, per se ita subsistat, vt vtraq; sit persona separata, aut, quòd vtraq; personam singularem constituat: sed ita naturas vnitas esse sentimus, vt vnicam tantùm personam constituant: in qua simul personaliter ambæ, diuina, & humana natura assumta, vnitæ sint & subsistant: ita quidem, vt iam, post incarnationem, ad integram Christi personam, non modò diuina, sed etiam assumta humana natura pertineat: & quòd persona filij Dei INCARNATI, vt sine diuinitate sua, ita etiam sine humanitate sua non sit integra persona. In Christo igitur non sunt duæ distinctæ, sed vnica tantùm persona, non obstante, quòd duæ distinctæ naturæ, vtraq; in sua essentia, & proprietatibus naturalibus, inconfusæ, in ipso reperiantur.

Credi-

Credimus quoq;, docemus, ac confitemur, assumtam humanam naturam in Christo, non tantùm essentiales & naturales suas proprietates habere & retinere: sed præterea etiam per vnionem personalem, qua cum diuinitate mirando modo copulata est, & postea per glorificationem, exaltatam esse ad dexteram Maiestatis, virtutis, & potentiæ, super omne, quod nominatur non tantùm in hoc, sed etiam in futuro seculo.

Ephes. 1.

Quòd verò ad hanc Maiestatem attinet, ad quam Christus, secundùm humanitatem suam exaltatus est: non eam tùm demum accepit, cùm à mortuis resurrexit, & ad cœlos ascendit: sed tùm, cùm in vtero matris conciperetur, & homo fieret: quando videlicet, diuina & humana natura personaliter sunt vnitæ. De hac autem hypostatica vnione non ita sentiendum est (vt quidam sinistrè eam accipiunt:) quasi duæ illæ naturæ, diuina & humana, eo modo vnitæ sint, quo duo asseres conglutinātur: vt REALITER, seu reipsa & verè, nullam prorsus communicationem inter se habeant. Hic enim Nestorij & Samosateni error est & hæresis: qui hæretici (vt Suidas, & Theodorus Presbyter Rethenensis testantur) senserunt atq; docuerunt: δύο φύσεις διῃρημένως ἐχούσας, καὶ ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς παντάπασιν: h. e. duas naturas separatim seu seorsim se habentes & omni modo ad inuicem seu inter se incōmunicabiles esse. Hoc falso dogmate naturæ separantur: & duo Christi finguntur: quorum vnus sit Christus: alter verò Deus Logos, qui in Christo habiter.

Sic enim Theodorus Presbyter scribit: Paulus quidam, ijsdem, quibus Manes, temporibus, Samosatenus quidem ortu, sed Antiochiæ Syriæ antistes, Dommum impiè dixit nudum fuisse hominem, in quo Deus verbū, sicut & in singulis Prophetis, habitauit: ac proinde duas naturas separatas, & citra omnem prorsus inter se communionem, in Christo esse: quasi alius sit Christus, alius Deus, Verbum in ipso habitans.

CONTRA hanc damnatam hæresin Catholica Christi Ecclesia semper, omnibusq; temporibus simplicissimè credidit & sensit, humanam & diuinam naturam in persona Christi, eo modo vnitas esse, vt veram inter se communicationem habeant. Neq; tamen ideo naturæ in vnam essentiam, sed vt D. Lutherus loquitur, in vnam personam conueniunt & commiscentur. Et propter hanc hypostaticam vnionem & comunicationem veteres orthodoxi Ecclesiæ Doctores, sæpe admodum, non modò ante, verùm etiam post Chalcedonense Concilium, vocabulo (Mixtionis) in pia tamen sententia & vero discrimine, vsi sunt. Eius rei confirmandæ gratia multa Patrum testimonia in mediũ adferri possent: quæ passim in hominum nostrorum scriptis reperire licet. Et quidem erudita antiquitas vnionem hypostaticam, & naturarum communicationem, similitudine animæ & corporis: item ferri candentis, aliquo modo declarauit. Anima enim & corpus (quémadmodum etiam ignis & ferrum) non tantùm per phrasin aut modum loquendi, aut verbaliter, sed verè & realiter comunicationem inter se habent: neq; tamen hoc modo confusio aut naturarum exæquatio introducitur: qualis fieri solet, cùm ex melle & aqua mulsum conficitur; talis enim potus non ampliùs aut aqua est mera, aut mel merum, sed mixtus quidam, ex vtroq; potus. Longè certè aliter se res, in illa diuinæ & humanæ naturæ vnione (in persona CHRISTI) habet: longè enim sublimior est, & planè ineffabilis communicatio & vnio diuinæ & humanæ naturæ, in persona CHRISTI: propter quam vnionem & communicationem, DEVS homo est, & homo DEVS. Nec tamen hac vnione & communicatione naturarum, vel ipsæ naturæ, vel harum proprietates confunduntur: sed vtraque natura essentiam & proprietates suas retinet.

Propter

Propter hanc hypostaticam vnionem) quæ sine vera illa communicatione naturarum nec cogitari nec subsistere potest) non nudè & sola humana natura, cuius proprium est, pati & mori, pro totius mundi peccatis est passa: sed ipse filius Dei verè (secundum tamen naturam humanam assumtam) passus, &, vt Symbolum nostrum Apostolicum testatur, verè mortuus est: etsi diuina natura neq; pati neq; mori potest. Hanc rem D. Lutherus in Maiore sua de Cœna Domini confessione, copiosè & solidè declarauit: vbi blasphemam Cinglij Allæosin, qui docuit, vnam naturam pro altera sumi & intelligi, tanquam Diaboli laruam reiecit, & ad inferni barathrum damnauit.

Et sanè veteres Ecclesiæ Doctores duo hæc vocabula κοινωνίαν & ἕνωσιν, communicationem & vnionem, in explicatione huius mysterij coniunxerunt: & alterum per alterum declarârunt, Irenæus lib. 4. cap. 37. Athanasius in Epistola ad Epictetum. Hilarius de Trinitate lib. 9. Basilius & Nyssenus in Theodoreto. Damascenus lib. 3. cap. 19.

Propter hanc hypostaticam vnionem & comunionem, diuinæ & humanæ naturæ in Christo, credimus, docemus, & confitemur, iuxta fidei nostræ Christianæ analogiam, omnia ea, quæ de Christi Maiestate secundùm humanam eius naturam, qua ad dextram omnipotentiæ & virtutis Dei sedet, & ijs, quæ ex ea consequuntur, dici solent, locum non habitura, neque stare posse: nisi hypostatica illa vnio & communicatio naturarum in persona Christi REALITER & verè existerent.

Huius hypostaticæ vnionis ratione & naturarum communione Maria, laudatissima illa virgo, non hominem duntaxat, sed talem hominem, qui verè filius Dei altissimi est, gessit: vt Archangelus Gabriel testatur. Is filius Dei etiam in vtero matris diuinam suam maie-

statem demonstrauit, quòd de virgine, inuiolata ipsius virginitate, natus est. Vnde & verè Θεοτόκος, Dei genitrix est, & tamen virgo mansit.

Illius hypostaticæ vnionis & communicationis virtute, omnia miracula sua edidit, & diuinam suam maiestatem pro liberrima voluntate, quando & quomodo ipsi visum fuit (non tantùm post resurrectionem suam, & ascensum ad cœlos, verùm etiam in statu exinanitionis) manifestauit. Verbi gratia: in nuptijs, quæ in Cana Galilææ celebratæ fuerunt: item, cùm duodecim annos natus, inter viros eruditos eruditissimè disputaret: Præterea in horto, quando vnico propemodum verbulo hostes suos in terram prosterneret: quin imò in ipsa morte. Non enim vt alius quispiam vulgaris homo mortuus est: sed in morte, & quidem per suam mortem, ipsam mortem, peccatum, Diabolum, infernum, & æternam damnationem deuicit. Hæc certè admiranda opera, humana natura sola, nequaquam præstare potuisset, nisi cum diuina natura personaliter vnita fuisset, & realem cum ea communicationem habuisset.

Ex hac vnione & naturarum communione humana natura habet illam exaltationem, post resurrectionem à mortuis, super omnes creaturas in cœlo & in terra: quæ reuerà nihil aliud est, quàm quòd Christus formam serui prorsus deposuit, Humanam verò naturam non deposuit, sed in omnem æternitatem retinet, & ad plenam possessionem & diuinæ maiestatis vsurpationem secundùm assumtam humanam naturam euectus est. Eam verò Maiestatem statim in sua conceptione, etiam in vtero matris habuit: sed vt Apostolus loquitur, seipsum exinaniuit, eamq; vt D. Lutherus docet, in statu suę humiliationis secretò habuit, neq; eā semper, sed quoties ipsi visum fuit, vsurpauit. *Philip. 2.*

Iam verò, postquam non communi ratione, vt alius

Ephes. 4. quispiam sanctus in cœlos ascendit, sed vt Apostolus
Psal. 8. 93. testatur, super omnes cœlos ascendit, & reuera o-
Zach. 9. mnia implet, & vbique, non tantùm vt DEVS, verùm
etiam vt homo, præsens dominatur & regnat, à mari
ad mare, & vsq; ad terminos terræ, quemadmodum o-
lim Prophetæ de ipso sunt vaticinati: & Apostoli te-
stantur, quòd Christus ipsis vbiq; cooperatus sit, &
sermonem ipsorum sequentibus signis confirmaue-
Marc. 16. rit. Hæc autem non terreno modo, sed, vt D. Lu-
therus loqui solet, pro modo & ratione dexteræ Dei
facta sunt: quæ non est certus aliquis & circumscri-
ptus in cœlo locus: (vt Sacramentarij, sine testimo-
nio sacræ scripturæ fingunt:) sed nihil aliud est, nisi o-
mnipotens Dei virtus, quæ cœlum & terram implet:
in cuius possessionem Christus, iuxta humanitatem
suam, sine confusione tamen & exæquatione natura-
rum, & in essentia, & in essentialibus proprietatibus,
Realiter seu reuerà venit. Ex hac communicata sibi di-
uina virtute homo CHRISTVS, iuxta verba testa-
menti sui, corpore & sanguine suo in sacra Cœna, ad
quam nos verbo suo ablegat, præsens esse potest, & re-
uerà est. Quod alioqui nulli alij homini possibile est:
quia nemo hominum cum diuina natura hoc modo
vnitus, & in diuinam illam Omnipotentem Maiesta-
tem & virtutem (ratione hypostaticæ duarum in Chri-
sto naturarum vnionis) collocatus est: sicut vnus & so-
Colos. 2. lus ille Iesus, virginis Mariæ filius. In ipso enim diui-
na & humana natura hypostaticè sunt vnitæ: ita vt in
Christo tota diuinitatis plenitudo corporaliter inha-
bitet, & in illa personali vnione tam arcta & ineffabilis
est naturarum communio: in quam etiã (vt Apostolus
1. Pet. 1. Petrus ait) desiderant Angeli cum admiratione & gau-
dio prospicere. De qua re paulò pòst suo loco ordine
& copiosiùs dicetur.

Et ex hoc fundamento, cuius iam facta est mentio,

& quod

& quod vnio personalis docet, quomodo, videlicet, diuina & humana natura in persona Christi sint vnitæ: vt non modò nomina communia, sed REALITER etiam & reipsa inter se, sine omni confusione & exæquatione essentiarum, communicent, promanat etiam doctrina illa de communicatione idiomatum duarum in Christo naturarum, de qua infrà aliquid ampliùs dicetur.

Cùm autem indubitatum & extra controuersiam positum sit, quòd propria non egrediantur sua subiecta: hoc est, quòd quælibet natura suas proprietates essentiales retineat; & illæ non ab vna natura separentur, atque in alteram, tanquam aqua de vno vase in aliud, transfundantur: nulla prorsus fieri aut constare posset proprietatum communicatio, nisi illa, de qua diximus, personalis naturarum in Christo esset vnio & communicatio. Hoc autem (post articulum sanctæ Trinitatis) summum est Mysterium, quo nullum maius in cœlo & in terra reperitur. Vnde Paulus ait: Manifestè magnum est pietatis mysterium, quòd DEVS manifestatus est in carne, &c. Cùm enim Apostolus Petrus clarissimis verbis testetur, quòd nos etiam, in quibus Christus (tantumodo ex gratia) habitat, ppter tantũ mysterium, diuinæ naturæ participes fiamus in Christo: quantam existimabimus eam esse communicationem diuinæ naturæ, de qua Apostolus loquitur: quòd videlicet in Christo tota diuinitatis plenitudo inhabitat corporaliter, ita quidẽ, vt Deus & homo vna sint persona. Plurimum autem refert, vt hæc doctrina de communicatione Idiomatum conuenienti discrimine & distinctè tractetur & explicetur. Propositiones enim & prædicationes, quibus vtimur, cùm de persona Christi, & de naturis & proprietatibus eius loquimur, non omnes vnius sunt generis aut modi. Et si quando non satis dextrè & distinctè hoc negocium tractatur, tum doctrina hæc inuoluitur, & Lector

1. Tim. 3.

2. Pet. 1.

simplex facilè perturbatur. Quare ea, quam subijciemus, explicatio alta mente reponatur: ea autem, vt res ipsa Lectori planior, & intellectu facilior sit, tribus præcipuis capitibus comprehendi potest.

PRIMÒ cùm in Christo duæ sint distinctæ naturæ, quæ essentijs & proprietatibus suis neque mutantur, neque confunduntur: vtriusque verò naturæ vna tantùm sit persona: ea, quæ vnius tantũ naturæ propria sunt, alteri naturæ non seorsim, quasi separatæ, sed toti personæ (quæ simul Deus & homo est) attribuuntur, siue Deus, siue homo nominetur.

Sed in hoc prædicationũ genere non sequitur, quòd ea, quæ toti personæ tribuuntur, simul vtriusq; naturæ sint proprietates: sed distinctè declarandum est, secundùm quam naturam aliquid toti personæ adscribatur. Ad hunc modum loquitur Paulus, cùm de Christo dicit: Christum genitum esse ex semine Dauidis SECVNDVM CARNEM. Et Petrus de Christo inquit, quòd sit mortificatus CARNE: & quòd passus sit in CARNE.

Roman. 1.
1. Pet. 3.
1. Pet. 4.

Cùm autem & occulti & aperti Sacramentarij, sub hac regula (quando dicitur, quòd toti personæ tribuatur, quod vni naturæ proprium est) perniciosum suum errorem occultent: dum totam quidem personam nominant, interim tamen vnam, eamque (vt sic dicamus) nudam tantùm naturam intelligunt, alteram autem penitus excludunt: quasi nuda vel sola humana natura pro nobis passa sit: placuit D. Lutheri verba hoc loco recensere, è Maiori ipsius de Cœna Domini Confessione, in quibus de Cinglij Allœosi agit: vt Ecclesia Dei quàm optimè aduersùs errorem illum præmuniatur. Verba autem D. Lutheri sic habent:

Tom. 2. VVit. fol. 188.

Hoc Cinglius vocat Allœosin, cum aliquid de diuinitate Christi dicitur, quod tamen humanitatis proprium est: & contrà. Verbi gratia, vbi in scriptura dicitur: Nónne hæc oportuit pati CHRISTVM, &

Luc. 24.

ra intrare in gloriam suam? ibi nugatur Cinglius, quòd vocabulum (Christus) hoc loco pro humana natura sumatur. Caue tibi, caue, inquam, tibi ab ista Allœosi: est enim larua quædam Diaboli: quæ tandem talem Christum fingit, secundùm cuius rationes ego certè nolim esse Christianus. Hoc enim illa vult: quòd Christus nihil ampliùs sit, aut efficiat sua passione & vita, quàm alius quispiã sanctus. Si enim persuaderi mihi patiar, vt credam, solam humanam naturam pro me passam esse, profectò Christus mihi non magni pretij saluator erit, sed ipse tandem saluatore eget. In summa, verbis explicari non potest, quid Diabolus per hanc Allœosin, moliatur. Et paucis interpositis. Si fortè venefica illa, domina RATIO (cuius neptis est ipsa Allœosis) reclamare voluerit, dicens: Diuinitas neque pati neque mori potest: Tu respondebis: Verum id quidem est: nihilominus tamen, quia diuinitas & humanitas in Christo vnam personam constituunt: scriptura, propter hypostaticam illam vnionem, etiam diuinitati omnia illa tribuit, quæ humanitati accidunt: & vicissim humanitati, quæ diuinitatis sunt. Et sinè reuerà ita res sese habẽt. Hoc enim fateri te necesse est: hæc persona (monstrato Christo) patitur, moritur, hæc autem persona est verus Deus. Rectè igitur dicitur: Filius Dei patitur. Etsi enim vna ipsius pars (vt sic loquar) diuinitas videlicet, non patitur: tamen ea persona, quæ Deus est, patitur in altera sua parte, nimirum, in humanitate: Reuerà enim filius Dei pro nobis est crucifixus, hoc est, persona, quæ Deus est. Ipsa enim, ipsa (inquam) persona crucifixa est, secundùm humanitatem. Et rursus post aliqua: Si constabit Allœosis, vt eam Cinglius proponit, in Christo duas personas esse necesse erit, diuinam, videlicet, & humanam: quandoquidem Cinglius dicta scripturæ de passione tantùm ad humanitatẽ inflectit, eaq; per omni

à diuinitate separat. Vbi enim opera diuelluntur & separantur, ibi etiam personam ipsam diuidi necesse est: cùm omnia opera, omnesque passiones, non naturis, sed personæ tribuantur. Persona enim ipsa est, quæ omnia illa agit & patitur: hoc quidem secundùm hanc naturam: illud verò, secundùm alteram naturam: quæ sanè omnia viris eruditis sunt notissima. Quare agnoscimus, Dominum nostrum Iesum Christum Deum & hominem in vna persona: non confundendo naturas, nec diuidendo personam.

7. Tom. VVit. fol. 530.

In eandem sententiam loquitur D. Lutherus etiam in eo libello, quem de concilijs & Ecclesia scripsit: Sciendum id nobis Christianis est, nisi Deus in altera lance sit, & pondere vincat, nos lance nostra deorsum (ad interitum) ferri. Hoc sic accipi volo: nisi hæc vera sint: Deus mortuus est pro nobis: &, si solus homo pro nobis mortuus est: tum profectò prorsus actum fuerit de nobis. At verò, si DEI MORS, &, quòd DEVS ipse mortuus est, in altera lance ponitur: tum ille deorsum fertur: nos verò instar vacuæ & leuioris lancis sursum tendimus. Sed & ille deinde rursus vel sursum tendere, vel è lance exilire potest. Non autem poterat in lancem descendere & considere, nisi nostri similis, hoc est, homo fieret: vt verè & rectè de ipsius passione dici posset: Deus mortuus est, Dei passio, Dei sanguis, Dei mors. Non enim in sua natura Deus mori potest. Postquam autem Deus & homo vnitus est in vna persona: rectè & verè dicitur: Deus mortuus est, quando, videlicet, ille homo moritur, qui cum Deo vnum quiddam, seu vna persona est. Hactenus Lutherus. Ex his liquet, non carere errore, si quis dixerit scripseritúe, quòd commemoratæ propositiones (Deus passus est: Deus mortuus est) sint tantummodò prædicationes verbales, hoc est, nuda verba, sinè re. Simplicissima enim Christiana fides nostra docet,

& quod

& quòd filius Dei, qui homo factus est, p nobis passus ac mortuus sit, nosq; sanguine suo redemerit.

DEINDE, quod ad rationes officij Christi attinet, persona non agit & operatur, in, seu cum vna, vel per vnam naturam tantùm: sed potiùs in, cum, & secundùm atque per vtranque naturam: seu, vt Concilium Chalcedonense loquitur: vna natura agit seu operatur cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est. Itaq; Christus est noster mediator, redemtor, rex, summus Pontifex, caput & pastor, &c. non secundùm vnam tantùm naturam, siue diuinam, siue humanam: sed secundùm vtramq; naturam: de qua re aliàs etiam copiosiùs dicitur.

TERTIO verò longè adhuc aliud est, quando de eo quæritur, disseritur, vel tractatur; an duæ illæ naturæ in hypostatica vnione in Christo, nihil ampliùs, nisi suas naturales essentiales proprietates habeant: quòd enim easdem habeant ac retineant, suprà docuimus.

Quantum ergò ad diuinam in Christo naturam attinet, cùm in ipso nulla sit (vt Iacobus testatur) transmutatio: diuinæ Christi naturæ per incarnationem nihil (quò ad essentiam & proprietates eius) vel accessit, vel decessit, & per eam in se, vel per se neque diminuta neque aucta est. *Iacob. 1.*

Iam quod ad humanam naturam in persona Christi attinet, non defuerunt quidã, qui cõtenderent, eam in personali etiam cum diuinitate vnione nihil ampliùs habere, quàm duntaxat suàs naturales essentiales proprietates: quarum ratione fratribus suis per omnia similis est. Vnde affirmârunt, humanæ in Christo naturæ nihil eorum tribui vel debere vel posse, quòd sit supra vel contra naturales ipsius proprietates, etiamsi scripturæ testimonia humanæ CHRISTI naturæ talia tribuant. Hanc verò ipsorum opinionem falsam esse, verbo Dei adeò perspicuè demonstrari potest,

vt etiam ipsorum consortes eum ipsum errorem reprehendere & reijcere tandem cœperint. Sacræ enim literæ, & Orthodoxi Patres, scripturæ verbis edocti præclarè testantur, quòd humana natura in CHRISTO, eam ob causam, & inde adeò, quòd cum diuina natura personaliter vnita est (deposito seruili statu & humiliatione, iam glorificata & ad dexteram Maiestatis & virtutis diuinæ exaltata) præter & supra naturales, essentiales, atque in ipsa permanentes humanas proprietates, etiam singulares, excellentissimas, maximas, supernaturales, imperuestigabiles, ineffabiles, atq; cœlestes prærogatiuas, Maiestatis, gloriæ, virtutis ac potentiæ super omne, quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, acceperit;
Ephes. 1. vt ita humana in Christo natura (suo modo & ratione) in exequendo officio Christi simul adhibeatur, cooperetur & suam efficaciam, id est, virtutem & operationem habeat, non tantùm ex suis naturalibus proprietatibus, aut secundùm essentiales proprietates, aut quousque earum virtus & efficacia progreditur; sed præcipuè secundùm Maiestatem, gloriam, virtutem atque potentiam, quam per vnionem hypostaticam, glorificationem, & exaltationem accepit. Et hoc ipsum hodie ne aduersarij quidem nostri prorsus negare audent: nisi quòd disputant & contendunt, illa tantùm esse dona creata, & FINITAS dotes seu qualitates: quibus humanam in Christo naturam donatam & ornatam esse sentiunt: quales sunt etiam in sanctis hominibus. Et argutis cogitationibus ac friuolis argumentationibus atq; fictis probationibus metiri, & ad calculum reuocare conantur, quorum donorum humana natura in Christo, sine abolitione sua, capax, aut non capax esse queat.

Rectissima autem & omnium tutissima via in huius controuersiæ dijudicatione est hæc, videlicet, nemi-

nem

nem meliùs & certiùs nosse, quid Christus secundùm assumtam humanam naturam (ratione vnionis hypostaticæ, & glorificationis seu exaltationis) acceperit, & quarum prærogatiuarum (præter & supra naturales suas proprietates) sine eiusdem abolitione, capax sit: quàm ipsum Dominum nostrum Iesum Christum: Is verò hoc ipsum (quantum quidem nostra, & quidem salutis causa, in hac vita interest) in verbo suo reuelauit. De quibus igitur in sacra scriptura, quod ad hanc rem attinet, certa & perspicua testimonia habemus, simpliciter illis fidem adhibeamus; & nequaquã contra disputemus, quasi humana natura in Christo illorum capax esse nequeat.

Vera quidem sunt, quæ de creatis donis, humanæ naturæ in Christo datis & communicatis dicuntur: quòd humanitas Christi ea per se, & in seipsa habeat. Sed hæc non satis explicant vel assequuntur Maiestatem illam, quam scriptura & orthodoxi Patres secundùm scripturam, humanæ in Christo naturæ adscribunt.

Viuificare enim, omne iudicium, omnemq; potestatem in cœlo & in terra, adeoq; omnia in manibus suis habere, omnia sub pedibus ipsius subiecta esse, à peccatis mundare, &c. non sunt dona creata, sed diuinæ, infinitæ proprietates: quæ tamen (iuxta testimonia scripturæ) Christo homini datæ & communicatæ sunt, Iohan. 5. & 6. Matth. 28. Daniel. 7. Iohan. 3. & 13. Matth. 11. Ephes. 1. Hebr. 2. 1. Corinth. 15. Iohan. 1.

Quòd autem hæc comunicatio non tantùm, quasi per phrasin aut modum loquendi dicta, de persona Christi secundùm ipsius diuinitatem, sed potiùs secundùm assumtam humanam naturam sit intelligenda, id tribus firmissimis, atq; adeò inuictis argumentis, quæ iam recitabimus, demonstrari potest.

I. Primò, extat regula communissima, maximò totius Ecclesiæ orthodoxæ consensu, approbata: videlicet, quæ scriptura Christum in tempore accepisse affirmat, ea non secundùm diuinitatem accepisse: (secundùm quam omnia ab æterno possidet:) sed quòd persona Christi ratione & respectu humanæ naturæ ea in tempore acceperit.

II. Deinde, scriptura luculenter testatur, Iohan. 5. & 6. quòd virtus viuificandi & potestas exercendi iudicij, Christo datæ sint: propterea quia filius hominis est: quatenus videlicet carnem & sanguinem habet.

III. Postremò, scriptura in hoc negocio non tantùm in genere filij hominis mentionē facit, sed quasi digitum in assumtam humanam naturam intendit, cùm inquit: SANGVIS Iesu Christi, filij Dei emundat nos ab omni peccato. Id autem non tantùm de merito sanguinis Christi in cruce semel perfecto accipiendum est: sed Iohannes eo loco de ea re agit: quòd in negocio iustificationis, non tantùm diuina natura in Christo, verùm etiam ipsius sanguis per modum efficaciæ nos ab omni peccato emundet. Ita caro Christi est viuificus cibus. Et ex hoc Euangelistæ & Apostoli dicto concilium Ephesinum pronunciauit, carnem Christi habere vim viuificandi. Et de hoc articulo multa in nostrorum hominum scriptis clarissima veteris & orthodoxæ Ecclesiæ testimonia collecta passim extant.

1. Iohan. 1.

Iohan. 6.

Quòd igitur Christus virtutem viuificandi secundùm humanitatem suam acceperit, & quòd illa vis assumtæ humanæ naturæ in Christo data atque communicata sit, id ex analogia verbi Dei credere tenemur. Sed vt paulò antè monuimus, cùm duæ naturæ in Christo, eo modo sint vnitæ, vt nulla sit facta confusio, aut naturæ vnius in alteram transmutatio: & vtraque suas naturales & essentiales proprietates retineat: ita vt vnius naturæ proprietates nunquam alterius natu-

ræ proprietates haut: hæc doctrina dextrè admodum declaranda, & aduersus hæresium corruptelas bene munienda est.

In hoc autem negocio nihil noui de ingenio nostro fingimus; sed amplectimur & repetimus declarationem, quam vetus & orthodoxa Ecclesia è sacræ scripturæ fundamentis desumtam, ad nos incorruptam transmisit: videlicet, quòd diuina illa virtus, vita, potestas, Maiestas, & gloria assumtæ HVMANAE naturæ in Christo data sit. Id verò non eo modo, sicut Pater Filio, secundùm diuinam naturam, essentiam suam & omnes diuinas proprietates ab æterno communicauit: vnde & vnius cum Patre essentiæ, & ipsi æqualis est, Christus enim tantùm secundùm diuinam naturam Patri æqualis est: secundùm humanam verò naturam sub Deo est. Ex his manifestum est, nullam nos confusionem, exæquationem, aut abolitionem naturarum in Christo statuere. Etenim virtus viuificandi non eo modo est in carne Christi, quo est in diuina eius natura: videlicet, vt essentialis proprietas.

Communicatio autem illa, non facta est per essentialem aut naturalem effusionem proprietatum diuinæ naturæ, in naturam humanam: quasi humanitas Christi eas per se & à diuina essentia separatas haberet: aut, quasi per illam communicationem humana natura in Christo naturales ac essentiales suas proprietates prorsus deposuerit, & vel in diuinam naturam conuersa, aut diuinæ naturæ communicatis illis suis proprietatibus in seipsa & per se, exæquata sit: aut quòd vtriusq; naturæ eædem, aut certè æquales naturales & essentiales proprietates & operationes sint. Hi enim & similes errores in vetustissimis & approbatis concilijs è fundamentis sacræ scripturæ, meritò sunt reiecti & damnati. Nullo enim modo vel facienda vel admittenda est, aut conuersio, aut confusio, aut exæquatio, siue naturarum in Christo, siue essentialium proprietatum.

Et

Et quidem his vocabulis (realis communicatio, realiter communicari) nunquā vllam physicam communicationem, vel essentialem transfusionem (qua naturæ in suis essentijs, aut essentialibus proprietatibus confunderentur) docere voluimus: vt quidem vocabula, & phrases illas astutè & malitiosè falsa interpretatione, contra conscientiam suam, peruertere non dubitârunt: tantùm, vt piam doctrinam suspicionibus iniquissimis grauarent. Sed vocabula & phrases illas verbali communicationi opposuimus: cùm quidam fingerent, communicationem Idiomatum nihil aliud, nisi phrasin & modum quendam loquendi, hoc est, mera tantùm verba, nomina, & titulos inanes esse, & hanc verbalem communicationem adeò vrserunt, vt de nulla alia communicatione audire quicquā vellent. Quapropter ad rectè declarandam Maiestatem Christi, vocabula (de reali communicatione) vsurpauimus, vt significaremus, communicationem illam verè & reipsa (sine omni tamen naturarum & proprietatum essentialium confusione) factam esse.

Sentimus itaq; & docemus cum veteri orthodoxa Ecclesia, quemadmodum illa hanc doctrinam ex scriptura sacra declarauit; quòd humana in Christo natura Maiestatem illam acceperit, secundùm rationem hypostaticæ vnionis, videlicet, quòd cùm tota diuinitatis plenitudo in Christo habitet, non quemadmodum in sanctis hominibus & angelis, sed corporaliter, VT IN PROPRIO SVO CORPORE, etiam omni sua Maiestate, virtute, gloria, operatione, in assumta humana natura, liberrimè (quando & quomodo Christo visum fuerit) luceat, & in ea, cum ea, & per eam, diuinam suam virtutem, Maiestatem & efficaciam exerceat, operetur, & perficiat. Idq; ea, quodammodo, ratione, qua anima in corpore, & ignis in ferro candente agit. Hac enim similitudine (vt suprà monuimus) tota eru-

dita

dita & pia antiquitas doctrinam hanc declarauit. Hæc autem humanæ naturæ Maiestas in statu humiliationis maiori ex parte occultata & quasi dissimulata fuit. At nunc, post depositam serui formam (seu exinanitionem) Maiestas Christi plenè & efficacissimè atq; manifestè coram omnibus sanctis in cœlo & in terris sese exerit. Et nos in altera illa beatissima vita hanc ipsius gloriam facie ad faciem videbimus: vt Iohannes testatur cap. 17.

Hac ratione est permanetq; in Christo vnica tantùm diuina omnipotentia, virtus, Maiestas & gloria: quæ est solius diuinæ naturæ propria. Ea verò lucet, & vim suam plenè, liberrimè tamen, exerit, in & cum assumta humanitate, & per illam assumtam exaltatam in Christo, humanitatem. Quemadmodum etiam in ferro candente, non duplex est vis lucendi & vrendi (quasi ignis peculiarē, & ferrum etiam peculiarem & separatā vim lucendi & vrendi haberet) quin potiùs illa vis lucēdi & vrendi est proprietas ignis. Sed tamen quia ignis cum ferro vnitus est, ideo vim & virtutem lucendi & vrendi, in & cum ferro, & per ferrum illud candens, exerit: ita quidem, vt ferrum ignitū ex hac vnione vim habeat, & lucendi, & vrendi: & tamen hoc fit sinè transmutatione essentiæ aut naturalium proprietatum tàm ferri, quàm ignis.

Quare testimonia illa sacræ scripturæ, quæ de ea Maiestate loquuntur, ad quam humana in Christo natura exaltata est, non in eam sententiam accipimus, quòd diuina illa Maiestas (quæ diuinæ naturæ filij Dei propria est) in persona filij hominis tantùm secundùm diuinam naturam, Christo sit adscribenda: aut, quòd Maiestas illa tantùm ea ratione sit in humana Christi natura: vt humana Christi natura nudum tantùm titulum & nomen solum diuinæ illius Maiestatis, per phrasin & modum loquendi, reuera autem nullam prorsus cum ea communicationem habeat. Cùm enim

Deus

Deus sit spiritualis indiuisa essentia: quæ vbiq; & in omnibus creaturis est, & vbi est, ibi (præsertim in credentibus & sanctis habitans) suam secum Maiestatem habet: tum (secundùm superiorem falsam hypothesin) dici posset, in omnibus creaturis, in quibus Deus est, præcipuè verò in electis & sanctis, qui sunt templa Dei, totam plenitudinem diuinitatis corporaliter inhabitare, in eis omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos, illis omnem potestatem in cœlo & in terra datam esse: cùm fateri oporteat, credentibus Spiritum sanctum datum esse, qui & ipse omnem potestatem in cœlo & in terra habet. Ea verò ratione inter Christum, iuxta humanam ipsius naturam, & inter alios sanctos homines nullum discrimen relinqueretur: & Christus Maiestate illa sua, quam præ omnibus alijs creaturis, vt homo, seu, secundùm humanitatem suam accepit, exueretur. Nulla autem creatura (siue homo, siue Angelus) dicere potest aut debet: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra: cùm tamen Deus vniuersa diuinitatis suæ plenitudine (quam vbiq; secum habet) in electis quidem sit, veruntamen non corporaliter in illis habitet, nec personaliter cum illis vnitus sit, sicut in Christo corporaliter inhabitat. Nam ratione illius hypostaticæ vnionis Christus dicit, etiam secundùm humanam suam naturam: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Et alibi: Sciebat Iesus, quòd omnia dedisset ei Pater in manus. Item, In ipso inhabitat tota diuinitatis plenitudo corporaliter. Et: Gloria & honore coronâsti eum, & constituisti eum super omnia opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius. Dum autem omnia subiecit ei, nihil (excepto eo, qui omnia ei subiecit) reliquit, quod non ipsi subiecerit.

Matth. 28.
Iohan. 13.
Coloss. 2.
Psal. 8.
Hebr. 2.
1. *Cor.* 15.

Credimus autem, docemus, & confitemur, non fieri talem Maiestatis Dei & omnium proprietatum eius effu-

effusionem in humanam naturam Christi: qua diuinæ naturæ aliquid decedat: aut, vt de suo alij ita largiatur aliquid, quod hac ratione sibi ipsa nõ in se retineat: aut, quòd humana natura, in substantia atq; essentia sua parem Maiestatem acceperit, quæ à natura & essentia diuinæ naturæ sit separata & diuisa: quasi cùm vinum, aqua, aut oleum, de vno vase in aliud transfunditur. Neq; enim vel humana in Christo natura, vel vlla alia creatura in cœlo aut in terra, eo modo omnipotentiæ diuinæ capax est: vt per se, omnipotens essentia & natura fiat, aut omnipotentes proprietates in se, & per se habeat. Hac enim ratione humana natura in Christo abnegaretur, & in diuinitatem prorsus transmutaretur. Quòd sanè & Christianæ nostræ fidei, & omnium Prophetarum & Apostolorum doctrinæ repugnat.

Credimus autem, docemus, & confitemur, quòd Deus Pater Spiritum suum, dilecto filio suo CHRISTO, ratione assumtæ humanitatis, eo modo dederit: (vnde & Messiæ, hoc est, vncti nomen accepit) vt ille non ad mensuram (quemadmodum alij sancti) illius Spiritus dona acceperit. In Christo enim Domino nostro (cùm secundùm diuinitatem vnius sit cum Spiritu sancto essentiæ) requiescit (ratione humanæ naturæ) spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Id verò non eo certè modo fit, quòd ille, quatenus homo, aliqua tantùm nôrit & præstare possit: quemadmodum alij sancti virtute Spiritus sancti (qui tantùm dona creata in ipsis efficit) quædam nôrunt & præstare possunt. Cùm enim Christus, diuinitatis ratione, secunda sit persona in sacrosancta Trinitate, & ab ipso non minùs, quàm à Patre, Spiritus sanctus procedat (nam & Patris & Filij proprius Spiritus est, manetq; in omnem æternitatem: nec à Filio vnquam separatur)

Isa. XI.

certè

certè Christo, secundùm carnem, quæ cum filio Dei personaliter vnita est, tota plenitudo spiritus (vt Patres loquuntur) per hypostaticam illam vnionē communicata est. Ea verò liberrimè in & cum humana Christi natura, & per eam, omnem vim suam exerit: non eo modo, vt Christus secundùm humanam suam naturam aliqua tantùm nôrit, aliqua verò ignoret: & quædam præstare possit, quædam verò præstare nequeat: sed iam etiam secundùm assumtam humanam naturam omnia nouit, & potest. Pater enim super hunc filium absq; mensura Spiritum sapientiæ & fortitudinis ita effudit, vt quatenus homo est, per hypostaticam illam vnionem, omnem scientiam & omnem potestatem reipsa & verè acceperit. Ea ratione omnes thesauri scientiæ in Christo sunt absconditi: hoc modo omnis ipsi potestas, in cœlo & in terra, data est: & ipse ad dexteram Maiestatis & virtutis Dei collocatus est. Manifestum est autem ex historijs, quòd temporibus Imperatoris Valentis inter Arianos peculiaris quædam secta reperta fuerit eorum, qui Agnoëtæ appellabantur: propterea quòd fingerent, filium quidem (vtpote verbum Patris) omnia scire: At assumtam ipsius humanam naturam multarum rerum ignaram esse. Hanc hæresin etiam Gregorius Magnus refutauit.

Propter vnionem autem hypostaticam, & ex ea cōsequentem communicationem, (quam diuina & humana natura in persona Christi, reuerà & reipsa inter se habent) Christo secundùm carnem id tribuitur, quod ipsius caro (in natura & essentia sua per se considerata) non esse, & extra vnionem illam, id non habere potest. Verbi gratia: Carni Christi rectè adscribitur, quòd sit verè viuificus cibus: & quòd sanguis eius verè sit viuificus potus. Sic enim ducenti Patres Ephesini Concilij pronunciarunt: Carnem Christi esse viuificā seu viuificatricem: vnde solus hic homo Iesus Christus

(nullus

(nullus autem alius homo vel in cœlo vel in terris) rectè & verè dicere potest: vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Item, Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. *Matth. 18.* *Matth. 28.*

Et hæc scripturæ testimonia non ita accipimus, quòd tantùm de præsentia diuinitatis Christi in ipsius Ecclesia, loquantur: quasi ea præsentia ad Christum, quà homo ipse est, prorsus non pertineat. Ea enim ratione Petrus, Paulus, & omnes sancti in cœlo, nobiscum in terris præsentes essent: cùm diuinitas, quæ vbique est, in ipsis habitet: id quod tamen de solo Christo, & de nullo alio homine, sacra scriptura testatur. Credimus verò, superioribus scripturæ testimonijs Maiestatem hominis Christi declarari, quam Christus secundùm suam humanitatem, ad dexteram Maiestatis & virtutis Dei accepit: vt videlicet etiam secundùm illam suam assumtam naturam & cum ea præsens esse possit, & quidem præsens sit, vbicunque velit: præsertim verò sentimus, eum Ecclesiæ suæ in terris, vt Mediatorem, Caput, Regem & summum Sacerdotem, præsentem esse. Non autem dimidiatus tantùm Christus, aut vna duntaxat ipsius pars Ecclesiæ præstò est: sed tota Christi persona. Ad eam autem pertinent ambæ naturæ, diuina & humana: quare eum præsentem habemus non tantùm secundùm diuinam, verùm etiam, secundùm assumtam humanam ipsius naturã: iuxta quam ipse frater noster est, & nos caro sumus de carne eius & os de ossibus eius. Et sanè in huius rei confirmationem, sacram suam Cœnam instituit: vt testaretur, se etiam secundùm eam naturam, qua carnem & sanguinem habet, nobiscum esse, in nobis habitare, operari, & efficacem esse velle. *Ephes. 5.*

Huic firmissimo fundamento D. Lutherus, sanctæ memoriæ, innixus, doctrinam de Maiestate Christi

iuxta humanitatem, fideliter & perspicuè Ecclesia proposuit.

Is in Maiori sua de Cœna Domini Confessione, de persona Christi ad hunc modum scripsit: Cùm Christus talis homo sit, qui præter naturæ ordinem cum Deo vna est persona: & extra hunc hominem nullus Deus reperiatur, necessariò conficitur, quòd etiam iuxta tertium supernaturalem illum modum sit, & esse possit, VBIQVE, VBI DEVS EST: ita vt omnia plena sint Christi, ETIAM IVXTA HVMANITATEM non quidem secundùm primam illam corporalem & comprehensibilem rationem, sed iuxta supernaturalem diuinum illum modum.

Tom. VVit. 2. Ger. fol. 191.

In hoc enim negocio fateri te oportet & dicere: Christus, secundùm diuinitatem, vbi vbi est, ibi est naturalis diuina persona: & reuerà ibi naturaliter & personaliter est; quod perspicuè ipsius incarnatio, in vtero materno, testatur. Si enim filius Dei erat, certè eum personaliter esse in vtero matris, & ibidem incarnari oportebat. Quòd si naturaliter & personaliter est, vbi vbi est, profectò ibidem etiam necessariò homo erit. Non enim in Christo sunt duæ separatæ personæ, sed vnica tantùm est persona. Vbicunque ea est, ibi est vnica tantùm & indiuisa persona. Et vbicunque rectè dixeris: hic est Deus; ibi fateri oportet, & dicere: ergo etiam Christus HOMO adest. Et si locum aliquem monstrares, in quo solus DEVS, non autem homo esset, iam statim persona diuideretur. Possem enim tum rectè dicere: hic est Deus ille, qui non est homo, & qui adhuc nunquam homo factus est.

Absit autem, vt ego talem Deum agnoscam aut colam. Ex his enim consequeretur, quòd locus & spacium possent duas naturas separare, & personam Christi diuidere: quam tamen neq; mors neq; omnes Diaboli diuidere aut separare potuêre. Et quanti tandem,

obsecro,

obiecro, pretij esset, talis Christus, qui vnico tantùm loco simul diuina & humana persona esset: in omnibus verò locis, duntaxat & quidem separatus Deus, aut diuina persona esset, sine assumta sua humanitate. Nequaquam verò id tibi, quisquis es, concessero: quin potiùs quocunque locorum Deum collocaueris: eò etiam humanitatem Christi vnà collocare te oportebit; non enim duæ in Christo naturæ separari aut diuidi possunt. Vna in Christo facta est persona: & filius Dei assumtam humanitatem à se non segregat.

In libello, de vltimis verbis Dauidis D. Lutherus paulò ante mortem suam in hanc sententiam scripsit. Secundùm alteram temporalem humanam natiuitatem etiam data est illi æterna Dei potestas: sed in tempore, & non ab æterno. Humanitas enim Christi non fuit ab æterno, vt diuinitas; sed Iesus Mariæ filius, iuxta supputationem veram, hoc anno natus est annos mille, quingentos, quadraginta tres. Interim tamen ab eo momento, in quo diuinitas cum humanitate vnita est in vnam personam, homo ille, qui est filius Mariæ, re-uerà est, & vocatur omnipotens æternus Deus, qui æternam habet potestatem: qui omnia creauit & conseruat (per comunicationem Idiomatum:) propterea quòd cum diuinitate vna sit persona, & verus sit Deus. De ea reloquitur, cùm inquit: Omnia mihi tradita sunt à Patre. Et alibi: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Quis est ille, qui dicit, MIHI? Mihi, videlicet, Iesu Nazareno, Mariæ filio, nato homini. Ab æterno quidem habebam eam à Patre, priusquà homo fierem. Cùm autem humanam naturam assumerem, accepi eam in tempore, secundùm humanitatem: occultaui autem eam, donec à morte resurgerem, & ad cœlos ascenderem: tum ea debebat manifestari & declarari, sicut Paulus dicit, eum declaratum seu demonstratum filium Dei cum potentia: Iohannes vocat clarificatum, seu glorificatum.

Tom. 5. Ger. VVit. fol. 545.

Matth. 11.

Rom. 1.

Iohan. 17.

Plura in hanc sententiam testimonia in D. Lutheri scriptis reperire licet, præsertim in eo libro, cui titulum fecit: Quòd hæc verba (hoc est corpus meum) adhuc firma maneant: præterea in Maiori ipsius Confessione de Cœna Domini multa in hoc genere leguntur. Illa tanti viri pia scripta (vt bene fundatas declarationes articuli de Maiestate CHRISTI, sedentis ad dexteram DEI, & ipsius Testamenti) breuitatis studio (eo modo, quo suprà diximus) hoc loco, & de persona Christi, & de sacra Cœna repetita esse volumus.

Quare perniciosum errorem esse iudicamus, quando Christo iuxta humanitatem Maiestas illa derogatur. Christianis enim ea ratione summa illa consolatio eripitur, quam è promissionibus paulò antè commemoratis de præsentia & inhabitatione capitis, regis, & summi sui Pontificis, haurire poterant. Is enim promisit, non modò nudam suam diuinitatem ipsis præstò futuram, (quæ nobis miseris peccatoribus est, tanquam ignis consumens aridissimas stipulas:) sed ille ipse, homo ille, qui cum discipulis locutus est, qui omnis generis tribulationes in assumta sua humana natura gustauit; qui ea de causa nobis (vt & hominibus & fratribus suis) condolere potest; se in omnibus angustijs nostris nobiscum futurum promisit: secundùm eam etiam naturam, iuxta quam ille frater noster est, & nos caro de carne eius sumus.

Reijcimus igitur atq; vnanimi cõsensu, ore & corde damnamus omnes errores, qui à commemorata pia doctrina dissentiunt: qui cũ Propheticis & Apostolicis scriptis, cum receptis & approbatis symbolis, & cũ pia nostra Augustana Confessione pugnant, vt sunt:

I. Quòd humana natura propter personalem vnionẽ, cum diuinitate sit confusa, aut in eam transmutata.

II. Quòd humana in Christo natura eo modo, quo diuinitas, vt infinita aliqua essentia, & ex virtute aut proprietate essentiali suæ naturæ vbiq; præsens sit.

Quòd

Quòd humana natura in Christo diuinæ naturæ substantia seu essentia sua, aut in suis essentialibus proprietatibus exæquata sit. III.

Quòd humanitas Christi in omnia loca cœli & terræ localiter extensa sit: quod tamen ne quidem diuinitati tribui debet. Quòd autem Christus per diuinam omnipotentiam suam, corpore suo (quod ad dexteram Maiestatis & virtutis Dei collocauit) præsens esse possit, vbicunque voluerit: ibiq; inprimis, vbi suam præsentiam illam, vt in sacra sua Cœna, in verbo suo promisit, hoc ipsius Omnipotentia & sapientia optimè efficere potest, sine transmutatione aut abolitione veræ suæ humanæ naturæ. IIII.

Quòd humana natura in Christo sola pro nobis passa sit, nosque redemerit, cum qua filius Dei in passione nullam prorsus communicationem habuerit. V.

Quòd Christus secundùm diuinitatem suam duntaxat nobiscum in terris, cum verbo Dei prædicato, & legitimo sacramentorum vsu, præsens sit: & hæc Christi præsentia ad humanam ipsius naturam prorsus nihil pertineat. VI.

Quòd assumta humana natura in Christo cũ diuina virtute, sapientia, potẽtia, Maiestate & gloria, reipsa & verè, nullã habeat cõmunicationem: sed quòd tantùm titulo & nomine nudo cum diuinitate communicet. VII.

Hos errores & alios omnes, à pia & sincera doctrina, paulò antè commemorata, dissentientes, recijcimus atque damnamus: vt qui verbo Dei, Propheticis & Apostolicis scriptis, & Christianæ nostræ fidei & Confessioni repugnent, & hortamur omnes pias mentes (quandoquidem Christus in sacra scriptura Mysterium vocatur, ad quod omnes hæretici capitibus suis impingunt) ne sua ratione humana in tantis mysterijs perscrutandis curiosæ sint, sed potiùs cum Apostolis Christi simpliciter credant, oculos rationis suæ clau-

dant, & intellectũ suum in Christi obedientiam captiuent. Inde autẽ dulcissimam & firmissimam consolationem petant, atq; sibi perpetuò gratulentur, quòd caro nostra & sanguis noster in Christo in tantam sublimitatem, ad dexteram Maiestatis, & omnipotentis virtutis Dei sit collocata. Sic in omnibus aduersis inueniemus, quo nos solidè consolemur, & ab omnibus pernitiosis erroribus præseruemur.

IX.

DE DESCENSV CHRISTI AD INFEROS.

CONSTAT, hunc fidei nostræ articulum de descensu Christi ad inferos non modò à quibusdã recentioribus, verùm etiam olim ab Orthodoxis veteribus Ecclesiæ Doctoribus non prorsus eodem modo explicatum esse. Nos igitur tutissimũ iudicamus, si simplicitatem fidei nostræ in symbolo comprehensam retineamus: ad quam D. Lutherus pia sua concione, in arce Torgensi Anno Domini 1533. de Christi ad inferos descensu habita, remisit. Vbi confitemur, & credamus in IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, filium Dei, qui mortuus, sepultus est, & ad inferos descendit: in qua Confessione videmus, sepulturam & descensum Christi ad inferos, tanquam diuersos articulos distingui. Simpliciter igitur credimus, quòd tota persona, Deus & homo, post sepulturam, ad inferos descenderit, Satanam deuicerit, potestatẽ inferorum euerterit, & Diabolo omnem vim & potentiam eripuerit. Quomodo verò Christus id effecerit, non est, vt argutis & sublimibus imaginationibus scrutemur. Hic enim articulus non magis ratione humana & sensibus comprehendi potest, quam prior, quomodò Christus ad dexteram Omnipotentis

virtu-

virtutis & Maiestatis Dei sit collocatus: In his ergo mysterijs fides duntaxat est adhibenda, & verbum Dei firmo assensu retinendum est: sic solidam doctrinam, & veram consolationem (quòd videlicet neq; Satan neq; ipsi inferi nos, omnesq; alios in Christum credentes, in potestatem suam redigere aut nobis nocere valeant) ex hoc articulo hauriemus.

X.

DE CEREMONIIS ECCLESIASTICIS, QVÆ VVLGÒ Adiaphora seu res mediæ & indifferentes vocantur.

ORTVM est etiam inter quosdam Augustanæ Confessionis Theologos dissidium, de ceremonijs Ecclesiasticis, quæ verbo Dei neq; mandatæ, neq; prohibitæ sunt: sed bono consilio propter εὐταξίαν & ordinem, aut ad conseruandam piam disciplinam in Ecclesia vsurpantur. Vna pars sensit, quòd persecutionis tempore (quando confessio fidei edenda est) etiamsi aduersarij Euangelij in doctrina nobiscum non consentiant, tamen sana & salua conscientia liceat, quasdam dudum abrogatas ceremonias (quæ per se adiaphoræ, & à Deo neque præceptæ neque prohibitæ sunt) postulantibus id & vrgentibus aduersarijs restituere, & hoc modo cum ijs, in rebus illis per se adiaphoris conformem quandam rationem instituere posse. Altera verò pars contendit, quòd persecutionis tempore (quando confessio fidei requiritur) aduersarijs illæsa conscientia, & sine iactura veritatis cœlestis, restitutione rerum adiaphorarum gratificari non possimus: præsertim, quando aduersarij hoc agunt, vt aut vi manifesta, aut

occultis machinationibus ſinceram doctrinam opprimant, & paulatim falſa dogmata in Eccleſias noſtras reducant.

Vt autem hæc etiam controuerſia piè declaretur, & tandem per Dei gratiam componatur, candido Lectori ſimplicem & verbo Dei conformem ſententiam noſtram aperiemus.

Si quando talia ſub titulo & prætextu externarum rerum adiaphorarum proponuntur, quæ (licèt alius color illis inducatur) reuerà verbo Dei aduerſantur: ea nequaquam pro rebus adiaphoris habenda, ſed tanquam verbo Dei prohibita vitanda ſunt. Et ſanè inter res adiaphoras non numerandæ ſunt tales ceremoniæ, quæ ſpeciem quandam præ ſe ferunt, aut quibus (ad effugiendam perſecutionem) ſimulatur, quaſi noſtra Religio à Pontificia non multum diſtaret: aut certè, quaſi ab ea non admodum animus noſter abhorreret: aut, cùm eiuſmodi ceremoniæ in eum finem reſtaurantur, & earum reſtauratio ita accipitur, quaſi hoc ipſo diſſentientes duæ illæ religiones iam in vnam redactæ eſſent, atque in vnum corpus coaluiſſent; aut cùm periculum eſt, ne videamur ad Papatum rurſus acceſſiſſe, & à ſincera Euangelij doctrina receſſiſſe, vel paulatim receſſuri.

2.Cor.6. In hoc enim rerum ſtatu maximum pondus habere debet illud Apoſtoli dictum: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut, quæ ſocietas luci ad tenebras? &c. Propter quod exite de medio eorum & ſeparamini, dicit Dominus.

Sed & hæc non ſunt vera adiaphora, quæ neque ad obſeruandum bonum ordinem, neque ad piam diſciplinam conſeruandam, neque ad εὐταξίαν in Eccleſia conſtituendam quicquam conferunt: ſed præter inutiles nugas & puerilia ſpectacula nihil habent.

Dere-

De rebus autem illis, quæ reuerà sunt adiaphoræ (quarum suprà mentionem fecimus) hæc est fides, doctrina, & confessio nostra: quòd eiusmodi ceremoniæ per se non sint cultus Dei, neq; etiam pars cultus diuini: sed inter illas & veros Dei cultus diligenter discernendum esse iudicamus. Scriptum est enim de humanis traditionibus: Frustra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum. *Matth. 15.*

Credimus autem, docemus, & confitemur, quòd Ecclesia Dei, quibusuis temporibus & locis pro re nata liberrimam potestatem habeat, (in rebus verè adiaphoris) aliquid mutandi, abrogandi, constituendi: si tamen id absq; leuitate & scandalo, decenter & bono ordine fiat: &, si accuratè expendatur, quid singulis temporibus ad conseruandum bonum ordinem, & ad piam retinendam disciplinam, atq; ad εὐταξίαν, Euangelica professione dignam, & ad Ecclesiæ ædificationem, quàm plurimum faciat. Quousq; etiam infirmis in fide, in rebus illis externis bona cum conscientia cedere possimus, Apostolus Paulus perspicuè non modò verbis, verùm etiam suo ipsius exemplo docuit. *Rom. 14. Act. 16. 21. 1. Cor. 9.*

Credimus, docemus, & confitemur, quòd eo tempore, quo veritatis cœlestis confessio requiritur (quando, videlicet, verbi Dei hostes doctrinam Euangelij opprimere student) tota Ecclesia, & singuli Christiani, præcipuè verò ministri verbi Dei (tanquam ij, quos Dominus Ecclesiæ suæ regendæ præfecit) teneantur, piam doctrinam iuxta verbum Dei, & quicquid omnino ad sinceram religionem pertinet, palàm & liberè non modò verbis, verùm etiam factis profiteri. Et sentimus, tali tempore etiam in rebus verè & per se adiaphoris, non esse aduersarijs cedendum: neq; permittendum, vt aduersarij nobis talia adiaphora (ad detrimentum veri cultus diuini, & ad plantandam & stabiliendam Idololatriam) obseruanda imponant & ob-

trudant: siue id manifesta vi, siue dolis efficere conen-
Galat. 5. tur. Scriptum est enim: In libertate igitur, qua Chri-
stus vos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis im-
plicemini. Et in eadem Epistola: Propter subintrodu-
Galat. 2. ctos falsos fratres, qui subintroierant, explorare liber-
Galat. 3. tatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos
in seruitutem redigerent: ijs neq; ad horam cessimus
subiectione: vt veritas Euangelij permaneat apud vos.
Manifestum est autem, Paulum ibi agere de circumci-
sione: quæ illis temporibus iam res adiaphora facta
1. Cor. 7. erat: & quam Paulus aliâs (in libertate tamen Chri-
Actor. 16. stiana & spirituali) obseruare aliquoties solebat. Cùm
autem Pseudoapostoli circumcisionem ad stabilien-
dum falsum suum dogma (quòd opera legis ad iusti-
iam & salutem necessaria essent) vrgerent, eaq; ad con-
firmandum suum errorem in animis hominum, abute-
rentur: ingenuè affirmat Paulus, quòd ne ad horam
quidem ipsis cesserit: vt veritas Euangelij sarta tectaq;
permaneret.

Rom. 14. Sic Paulus infirmis in fide cedit: obseruatione dis-
criminis ciborum, & temporum seu dierum Pseudoa-
postolis autem, qui hæc, TANQVAM NECESSA-
RIA, conscientijs imponere volebat, etiam in rebus
per se adiaphoris, cedere recusat. Et alibi inquit: Ne-
mo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte dies
Coloss. 2. festi, &c. Et cùm Petrus & Barnabas ea in re Iudæis
Galat. 2. plus, quàm oportebat, cessissent, in faciem eis resti-
tit: eò quòd non rectè ambularent ad veritatem Eu-
angelij.

In eo enim rerum statu non iam de externis adia-
phoris agitur, quæ natura sua per se libera sunt, perma-
nentque: vnde neq; mandanda sunt, neq; prohibenda,
vt vel obseruentur, vel intermittantur. Sed agitur præ-
cipuus religionis nostræ Christianæ articulus: vt ni-
Galat. 2. mirum VERITAS EVANGELII constet: sicut

Apostolo-

Apostolus testatur. Veritas enim Euangelij obscuratur & labefactatur: cùm adiaphora cum mandato & coactione conscientijs obseruandæ imponuntur. Quia ad confirmationem superstitionum, falsæ doctrinæ, & Idololatriæ, & ad opprimēdam sinceram doctrinam & libertatem Christianam, vel palam ab aduersarijs requiruntur, vel certè ita ab ipsis recipiuntur & in hunc abusum & prauum finem restituta creduntur.

Præterea in hoc negocio agitur etiam articulus de libertate Christiana: quem diligentissimè conseruandum Spiritus sanctus per os Apostoli Pauli Ecclesiæ Christi, vt modò dictum est, seuerissimè præcepit. Quamprimùm enim articulus ille labefactatur, & humanæ traditiones per modum coactionis Ecclesiæ Dei, tanquam obseruatu necessariæ, obtruduntur, quasi sine peccato negligi non possent, tum iam Idololatriæ magna fenestra est patefacta: vt deinceps humanæ traditiones cumulentur, & pro cultu diuino habeantur: neq; modò Dei præceptis exæquentur, verùm etiam illis longè præponantur.

Quin etiam eiusmodi intempestiua cessione in externis illis rebus adiaphoris (vbi nondum de doctrina ipsa pius consensus est factus) Idololatræ in sua Idololatria confirmantur. Contrà verò piæ mentes, & verè in Christum credentes, contristantur, perturbantur, offenduntur, & ipsarum fides, quasi ariete quodam grauiter concutitur & quodammodo labefactatur: huic malo ne occasionem præbeamus, summo studio (si modò æterna salus nobis cordi est) cauere debemus. Sic enim Christus dicit: Væ mundo à scandalis. Et ibidem: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expediret ei, vt suspenderetur mola asinaria in collo eius, & demergeretur in profundum maris. *Matth. 18.*

In

Matth.10. Imprimis verò hoc Christi dictum alta mente est reponendum: Qui me confessus fuerit coram hominibus, eum etiam ego confitebor coram Patre meo cœlesti.

Et sanè, quòd hæc semper fuerit clarissimorum Augustanæ Confessionis Theologorum fides & confessio de rebus Adiaphoris (quam & nos ipsorum vestigijs insistentes, profitemur, & in ea constanter, per Dei gratiam, permanere cupimus:) id liquidissimè testimonia, quæ recitabimus, demonstrabunt: eam Smalcaldicis articulis Anno &c. 37. consignata, & à præcipuis Theologis subscriptione confirmata sunt.

Testimonia è Smalcaldicis articulis Anno Domini 1537. conscriptis depromta.

ARticuli Smalcaldici de hoc negotio sic loquũtur. Nequaquã hoc Episcopis (Pontificijs) concedimus, quòd ipsi sint Ecclesia: (quia nõ sunt Ecclesia.) Neq; ea audiemꝰ, quę illi nobis sub Ecclesiæ nomine vel mandauerint, vel prohibuerint. Nam (Dei beneficio) puer septeñis iam nouit: quæ sit vera Ecclesia: sancti, videlicet, credentes, & ouiculæ, quæ pastoris sui vocẽ audiunt. Et paulò antè: Si Episcopi rectè officio Episcopali fungi, & Ecclesiæ regendæ atq; Euangelij propagandi curam seriò suscipere vellent, hoc illis, ratione charitatis, & propter bonum pacis (non tamen ex quadam necessitate) concedi posset, vt nos & Ecclesiæ nostræ Ministros ordinarent, atq; in functione Ecclesiastica confirmarent: remotis tamen omnibus laruatis, ineptis & impijs nugis, atq; magicis pompis. Cùm autem neq; veri sint, aut esse velint Episcopi, sed potiùs huius mundi Principes ac Domini; qui neque concionantur neque docent: neque baptizant, neque

De Ecclesia.

De ordinatione & vocatione.

Cœnam Domini administrant, neq; vllum opus Ecclesiasticum facere, aut munus tale obire velint: quin potiùs eos, qui ad ministerium Euangelij vocati sunt, in exilium eijciunt, persequuntur, atque anathemate feriunt: profectò Ecclesia Dei in ipsorum gratiam conniuere non potest, vt interea idoneis ministris destituatur.

In articulo, de primatu Papæ, articuli Smalcaldici in hanc sententiam loquuntur: Quare, vt non possumus ipsum Diabolum ceu Dominum & Deum adorare: ita non possumus ipsius Apostolum, Pontificem Romanum, seu Antichristum, in suo illo imperio, pro capite aut Domino agnoscere. Mentiri enim, innocentem sanguinem fundere, corpora & animas in æternum exitium præcipitare, hæc sunt Pontificij regni propria.

Et in scripto, de potestate & iurisdictione Papæ, quod Smalcaldicis articulis annexum, & à Theologis, qui tum Smalcaldiæ erant, subscriptione confirmatum est, hæc leguntur: Nemo Ecclesiam Dei grauet proprijs aliquibus traditionibus. In hoc enim negocio fixum & firmum esse debet: quòd nullius hominis potestas vel authoritas verbo DEI sit præferenda.

Et post aliqua: Quæ cùm ita se habeant, omnes Christiani quàm diligentissimè sibi caueant, ne impiæ illius (Pontificiæ) doctrinæ, blasphemiarum, tyrannidis crudelissimæ participes sese faciant. Pontificem autem, membra & squamas eius, vt regnum ipsissimi Antichristi, auersentur atq; execrentur. Christus enim id præcipit, dicens: Cauete à Pseudoprohetis. Et Paulus præcipit, vt falsos doctores vitemus, & veluti abominationem quandam execremur. Nolite (inquit) iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut, quæ societas luci ad tenebras? &c. 2. Cor. 6.

Graue

Graue id quidem videri potest, sese à tot regnis & populis seiungere & separare, & peculiarem quandam doctrinam profiteri. Sed clarum est Dei mandatum, quod præcipit nobis, vt omnes caueamus à consensu, cum ijs, qui vel falsa docent, vel falsam doctrinam immani crudelitate tueri conantur.

Tom. 3. Ien. fol. 523. Sed & D. Lutherus in alio quodam scripto (in quo ad quæstionem de Ceremonijs in genere, de adiaphoris verò etiam in specie quid sentiendum sit, docuit *Tom. 5. Ien. Germ.* Ecclesiam Dei de hoc negocio piè & luculenter erudiuit. Et extant quædam ab ipso, anno Domini 1530. exarata, quæ magno cum fructu legi possunt.

Ex his omnibus perspicuè intelligi potest, quid vnamquamq; Ecclesiam, quid singulos Christianos, præsertim temporibus illis, quando Confessio fidei edenda est, inprimis Ecclesiæ ministros, in rebus adiaphoris, bona & illæsa conscientia, facere vel omittere deceat: ne Deus ad iustam indignationem prouocetur, charitas violetur, hostes verbi Dei animosiores reddantur, & infirmi in fide offendantur.

I. Reijcimus igitur, & damnamus hos errores: Quando humanæ traditiones per se pro Dei cultu, aut pro illius aliqua parte habentur.

II. Quando humanæ traditiones per modum coactionis, tanquam necessariæ, Ecclesiæ Dei obseruandæ obtruduntur.

III. Repudiamus & damnamus etiam eorum opinionem, qui sentiunt, quòd persecutionis tempore hostibus Euangelij (cum iactura certè veritatis diuinæ) in adiaphoris restituendis gratificari, & cum ipsis, ex in parte, consentire liceat.

IIII. Illud etiam crimine non vacare iudicamus, quando persecutionis tempore, vel in adiaphoris, vel in doctrina, vel in alijs rebus ad religionem pertinentibus, propter Euangelij hostes, ipso facto aliquid committitur, quod piæ Confessioni repugnet.

Reij-

Reijcimus & damnamus etiam eorum intemperies, qui adiaphora ea opinione abrogant, quasi Ecclesiæ Dei non esset liberum, (quouis loco aut tempore) pro re nata, & Ecclesiæ vtilitate vnum vel plura adiaphora recipere, & pro ratione libertatis Christianæ vsurpare. V.

Iuxta hanc de adiaphoris doctrinam, nulla Ecclesia propter ceremoniarum dissimilitudinem (quarum aliæ pro ratione libertatis Christianæ pauciores, aliæ plures obseruant) alteram condemnabit: si modò in doctrina, & in omnibus illius partibus, atq; in legitimo Sacramentorum vsu concordes fuerint. Vetus enim & memorabile dictum est: Dissonantia ieiunij non dissoluit consonantiam fidei.

XI.

DE ÆTERNA PRÆDESTINATIONE ET ELECTIONE Dei.

DE æterna electione filiorum Dei inter Augustanæ Confessionis Theologos nulla hactenus aperta & cum scandalo coniuncta latoque sparsa controuersia exorta est. Quia verò apud exteros de eo articulo vehementer disceptatum est: & inter nostros etiam homines aliquid gliscere cœpit: & Theologi non semper similes de hoc negocio sermones vsurpant: studebimus per gratiam Dei in eo elaborare, vt, quantum quidem in nobis erit, omnes dissensiones & schismata apud posteritatem nostram præcaueantur. Itaque illius articuli declarationem huic scripto inserere placuit; vt omnibus manifestum fiat, quæ etiam de hoc articulo nostra fides, doctrina, & confessio sit. Neque enim

sentien-

sentiendum est, doctrinam de hoc articulo (si tamen iuxta præscriptum & analogiam verbi Dei & fidei proponatur) vel inutilem, vel non necessariam esse; multò autem minùs existimandum est, quòd offensionis plena sit, & detrimentum aliquod pijs mentibus adferat. Scriptura enim sacra huius articuli non semel tantùm, & obiter mentionem facit: sed multis locis eundem satis copiosè tractat & explicat. Neq; verò propter abusum aut sinistras aliquorum opiniones, doctrina verbi cœlestis negligenda est aut reijcienda, quin potiùs eam ipsam ob causam, vt abusus & prauæ opiniones tollantur, vera de hoc negocio sententia ex sacrarum literarum fundamentis proferenda atq; proponenda est. Summa autem doctrinæ cœlestis de hoc articulo, his capitibus, quæ recensebimus, comprehenditur.

Initiò discrimen inter æternam præscientiam, & inter electionem æternam filiorum Dei ad æternam salutem accuratè obseruandum est. Præscientia enim vel præuisio Dei, qua ille omnia, antequam fiant, præuidet, & præscit, ad omnes creaturas, tàm malas, quàm bonas extenditur. Hac enim vel præuisione vel præscientia Dominus antè nouit videtq;, quicquid est, vel aliquando futurum est, quicquid iam fit, vel quod aliquando continget: siue id bonum sit: siue malum: quia Deum neq; præterita neq; futura latent: sed omnia ipsi sunt manifesta & præsentia. Sic enim scriptum
Matth. 10. est: Nónne duo passeres asse veneunt: & vnus ex illis non cadet super terram, sine Patre vestro. Et Psaltes
Psal. 139. canit: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scripti erant dies, qui futuri erant, antequam essent. Et Isaias ait:
Isa. 37. Habitationem tuam, & egressum tuum, & introitum tuum cognoui, & insaniam tuam contra me.

AEterna verò electio seu prædestinatio Dei ad salu-

tem

tem, non simul ad bonos & ad malos pertinet, sed tantùm ad filios Dei, qui ad æternam vitam consequendam electi & ordinati sunt, priusquam mundi fundamenta iacerentur: vt Apostolus testatur, inquiens; Prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum in ipsum.

Præscientia Dei præuidet & nouit etiam mala, antequam fiant: sed non ea ratione, quasi Dei voluntas propitia illa sit, vt fiant. Sed ea quæ peruersa Diaboli & hominum voluntas molitur & efficere conatur, atq; etiam effectura est, hæc Deus omnia longè antè præuidet & nouit. Et ipsius præscientia etiam in malis rebus & operibus ordinem suum ita seruat: vt à Dño rebus malis (quas Deus nec vult nec approbat) certæ metæ ponantur atq; circumscribãtur, quas egredi nequeant, & ijsdem præscribitur, quàm diu durare debeant; & quando & quomodo ea mala impediri rursus & puniri debeant. Et hæc omnia Dominus ita gubernat, vt ad nominis sui diuini gloriam, & ad electorum suorum salutem cedant; impij verò confundantur & pudefiant.

Principium autem & causa mali non est ipsa Dei præscientia: (Deus enim non creat, procurat, efficit aut operatur malum: sed neq; illud iuuat aut promouet:) at Diaboli & hominum praua & peruersa voluntas, causa est mali. Sic enim scriptum est; Perditio TVA exte est, Israël: tantummodò in me SALVS tibi. Et Dauid inquit: Non Deus volens iniquitatem tu es. *Osc. 13. Psal. 5.*

AEterna verò electio Dei non tantùm præuidet & præscit electorũ salutem, sed ex clementissima Dei voluntate & beneplacito in Christo Iesu causa est, quæ nostram salutem, & quæ ad eam pertinent, procurat, efficit, iuuat, promouet. Et quidẽ in ea diuina prædestinatione æterna nostra salus ita fundata est, vt etiam inferorum portæ aduersus eam præualere nequeant. *Matth. 16.*

Scriptum est enim: Oues meas nemo rapiet de manu mea. Et alibi: Crediderunt, quotquot ad vitam æternam erant ordinati.

Iohan. 10.
Act. 13.

Et hæc sanè æterna electio seu ordinatio Dei ad vitam æternã, non nudè, in arcano illo cœlesti & imperscrutabili Dei consilio consideranda est: quasi ea nihil præterea complectatur, aut ad eam requiratur, aut in ea meditanda expendendum sit, nisi hoc: quòd Deus præuiderit, quinam & quot homines salutem sint consecuturi: & qui, atq; quàm multi in æternum sint perituri: aut, quasi Dominus militarem quendam delectum instituerit, atque dixerit aut statuerit: hic saluandus est, ille verò damnandus: hic ad finem vsq; in fide constans perseuerabit, ille verò non perseuerturus est.

Ex opinione enim hac multi absurdas, periculosas & perniciosas cogitationes hauriunt: quæ aut securitatem & impœnitentiam, aut angustias & desperationem in mentibus hominum gignunt & confirmant. Sic enim quidam periculosè secum cogitant, quin etiam interdum in hanc sententiam loquuntur: Deus (inquiunt) electos suos ad vitam æternam prædestinauit, antequam mundi fundamenta iacerentur. Electio autem Dei errare non potest; neque eam quisquam impedire aut mutare valet. Ergo si ad vitam æternam sum electus, nihil saluti meæ decedet, etiamsi absque omni pœnitentia omnis generis scelera atque flagitia designauero, verbum & Sacramenta contemsero: neque vnquam de pœnitentia, fide, precibus aut pietate cogitauero. Necessariò enim saluabor: quia electionem Dei fieri necessariò oportet. Sin verò prædestinatus non fuero, nihil prorsus mihi profuerit, etiamsi verbum Dei meditatus fuero, pœnitentiam egero, in Christum credidero, &c. quia prædestinationem Dei neq; impedire neq; mutare potero.

Ephes. 1.
Isa. 14.
Rom. 9.

Neq;

Neque verò tantum homines impij, verùm etiam pij quandoq; in has cogitationes veniunt & incidunt; vt si maximè per Dei gratiam pœnitentiam agant, in Christum credant, & piè viuendi laudabile institutum habeant, nihilominus ita secum rem reputent: Quid? si non ab æterno ad salutem electus seu prædestinatus es, omnis tuus conatus, totusque labor tuus irritus erit. Et hæc tum præcipuè homini pio in mentem veniunt, cùm suas infirmitates considerat: & in eorum exempla animi oculos defixos habet, qui non in fide ad finem vsque perseuerârunt, sed à vera pietate in impietatem rursus prolapsi, & apostatæ facti sunt.

Contra hanc falsam opinionem & periculosas cogitationes, huic solidissimo fundamento, quod expectationem nostram fallere non potest, sed longè firmissimum est, iuniti oportet, nempe: Certum est, omnem scripturam diuinitùs inspiratam, non ad alendam securitatem aut impœnitentiam, sed ad arguendum, ad erudiendum in iustitia, & ad vitæ emendationem propositam esse: Certum est etiam, quòd omnia, quæ in scriptura sacra nobis proponuntur, non ideò reuelata sint, vt ad desperationem adigamur: sed vt per patientiam, & consolationem scripturæ spem habeamus. Quare hæc nequaquam erit vera & sana sententia, aut legitimus vsus doctrinæ de æterna prædestinatione Dei, quibus vel impœnitentia, vel desperatio in hominum mentibus excitatur aut confirmatur. Neq; verò nobis scriptura hanc doctrinā aliter, quàm hoc modo proponit, vt nos ad verbum Dei reuelatum, fide amplectendum ableget: ad pœnitentiam agendam hortetur: ad piè viuendum inuitet; fidem nostram confirmet: & de salute nostra quàm certissimos reddat.

Quare cùm de æterna electione seu prædestinatione & ordinatione filiorum Dei ad vitam æternam, rectè & cum fructu cogitare aut loqui volemus, adsue-

2. Tim. 3.

Rom. 15.

Ephes. 1.
1. Cor. 1.
2. Tim. 3.
Iohan. 15.
Iohan. 3. 10.
2. Thes. 2.

faciamus nos, ne nudam, occultam, nulli homini exploratam & cognitā Dei præscientiam, ratione nostra perscrutari conemur. Sed ad eum modum diuinam electionem meditemur, quemadmodum Dei consilium, propositum & ordinatio in Christo Iesu (qui est verus ille liber vitæ) per verbum nobis reuelatur. Totam igitur doctrinam de proposito, consilio, voluntate & ordinatione Dei (omnia, videlicet, quæ ad nostram redemtionem, vocationem, iustificationem, & salutem pertinent) simul mente complectamur. Sic enim D. Paulus hunc articulum in scriptis suis tractauit & explicuit: Idem fecit Christus in parabola illa, de nuptijs regijs: quòd videlicet Deus in suo consilio & proposito decreuerit hæc:

Rom. 8.
Ephes. 1.
Matth. 22.

I. Vt humanum genus verè redimeretur, atq; cum Deo per CHRISTVM reconciliaretur: qui nobis innocentia atq; perfectissima obedientia, passione ac morte acerbissima iustitiam, quæ coram ipso valet, & vitam æternam promeruit.

II. Vt Christi meritum eiusq; beneficia per verbum & Sacramenta nobis offerrentur, exhiberentur, & distribuerentur.

III. Decreuit etiam, se Spiritu sancto suo per verbum annunciatum, auditione perceptum, & memoriæ commendatum, velle in nobis efficacem esse, & corda ad veram pœnitentiam agendam inflectere, & in vera fide conseruare.

IIII. Illius æternum propositum est, quòd omnes, qui pœnitentiam verè agunt, & Christum vera fide amplectuntur, iustificare, in gratiam recipere, & in filios & hæredes vitæ æternæ adoptare velit.

V. Et quòd fide iustificatos, in vera charitate sanctificare velit: vt Apostolus testatur, Ephes. 1.

VI. Idem in æterno suo consilio proposuit: se iustificatos etiam in multiplici & varia ipsorū infirmitate,

aduer-

aduersus Diabolum, mundum, & carnem, defensurum, & in vijs suis deducturum atque gubernaturum: &, si lapsi fuerint, manum suppositurum, vt in cruce atque tentationibus solidam consolationem percipiant, atq; ad vitam conseruentur.

VII. Illius æternum decretum est, quòd opus illud bonum, à se, in illis inceptum promouere, atq; confirmare, & ad finem vsque conseruare velit: si modò verbo ipsius, tanquam scipioni constanter innitantur, ipsius opem ardentibus precibus implorent, in gratia Dei perseuerent, & dona accepta fideliter & bene collocent.

VIII. Ille idem in æterno consilio suo decreuit, quos, quos elegit, vocauit, iustificauit, in altera, æterna illa vita saluos facere & æterna gloria ornare velit.

Et quidem Deus illo suo consilio, proposito & ordinatione, non tantùm in genere salutem suorum procurauit; verùm etiam omnes & singulas personas electorum (qui per Christum saluandi sunt) clementer præsciuit, ad salutem elegit; & decreuit, quòd eo modo (quem iam recitauimus) ipsos, per suam gratiam, dona, atque efficaciam, salutis æternæ participes facere, iuuare, eorum salutem promouere, ipsos confirmare, & conseruare velit.

Hæc omnia secundùm scripturam in articulo prædestinationis & æternæ electionis diuinæ ad adoptionem in filios, & ad æternam salutem, comprehenduntur: Vniuersa illa, de quibus diximus, sub hoc articulo complecti debemus: nec quicquam horum excludendum aut omittendum est, quando de proposito Dei, prædestinatione, electione & ordinatione ad vitam æternā agitur. Et cùm secundùm scripturā de hoc negotio cogitatur, per gratiam Dei hic articulus & perspicuè & dextrè intelligi, & salubriter tractari potest.

Sed & hoc ad pleniorem huius negotij declara-

tionem & salutarem vsum doctrinæ de diuina prædestinatione electorum ad salutem, cognitu est necessarium. Cùm, videlicet, soli electi saluentur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ: quomodo & vnde agnosci possit, quinam sint electi, & quibus hæc doctrina solatio esse possit & debeat.

De hac autem quæstione non iudicandum est: ex rationis nostræ sententia: sed neque ex lege: neq; ex vlla aliqua externa specie. Et cauendum est, ne absconditam & occultissimam abyssum diuinæ prædestinationis peruestigare conemur. Quin potiùs in reuelatam Dei voluntatem intueri nos oportet. Etenim certos nos reddidit de mysterio suæ voluntatis: idque ex arcano illo consilio suo per Christum, in lucem produci curauit: vt publicè prædicaretur.

Ephes. 1.
2. Tim. 1.

Ad hunc modum autem nobis illud arcanum consilium Dei reuelatur. Quos prædestinauit, elegit, & præordinauit, (inquit Paulus Roman. 8.) hos & VOCAVIT. Dominus autem non solet homines immediatè vocare: sed per verbum: vnde & præcepit, suo nomine prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum. Idem testatur Paulus, 2. Corinth. 5. dicens: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante PER NOS. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Et parabola Euangelica docet, conuiuas, quos rex ad filij sui nuptias conuenire volebat, per emissos ipsius ministros, inuitatos & vocatos esse. Et sanè Dominus in vineam suam vocat, alios quidem hora prima, alios tertia, sexta, nona, vel etiam vndecima hora, Matth. 20.

Luc. 24.
Matth. 22.

Si igitur æternam electionem ad salutem vtiliter considerare voluerimus, firmissimè & constanter illud retinendũ est: quòd non tantùm prædicatio pœnitentiæ, verùm etiam promissio Euangelij sit vniuersalis: hoc est, ad omnes homines pertineat. Eam ob causam

Chri-

Christus iussit prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum, IN OMNES GENTES. Deus enim MVNDVM dilexit, eiq; filium suum vnigenitum donauit. Christus peccata MVNDI sustulit. Idem carnem suam tradidit pro MVNDI VITA: Ipsius sanguis propitiatio est, pro TOTIVS mundi peccatis. Christus dicit: Venite AD ME OMNES, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Deus omnia in incredulitate conclusit, VT OMNIVM MISERATVR. Non vult Dominus aliquos perire, sed OMNES ad pœnitentiam reuerti. Idem Dominus OMNIVM, diues in OMNES qui inuocant illum. Iustitia Dei per fidem IESV Christi venit in OMNES, & super OMNES, qui credunt in eum. Et hæc est voluntas Patris, vt OMNES, qui in Christum credunt, vitam æternam habeant. Et vult Christus, vt in genere omnibus, quibus pœnitentia agenda prædicatur, etiam hæc promissio Euangelij proponatur.

Luc. 24.
Iohan. 3.
Iohan. 1.
Iohan. 6.
1. Iohan. 2.
Matth. 11.
Rom. 11.
2. Pet. 3.
Rom. 10.
Roman. 2.
Iohan. 6.
Luc. 24.
Marc. 16.

Et hanc vocationem Dei, quæ per verbum Euangelij nobis offertur, nõ existimemus esse simulatam & fucatam: sed certò statuamus, Deum nobis per eam vocationem voluntatem suam reuelare: quòd, videlicet, in ijs, quos ad eum modum vocat, per verbum efficax esse velit, vt illuminentur, conuertantur, & saluentur. Verbum enim illud, quo vocamur, ministerium Spiritus est: quod Spiritum sanctum adfert: seu, per quod Spiritus sanctus hominibus confertur: & est virtus Dei ad salutem omni credenti. Cùm igitur Spiritus sanctus per verbũ efficax esse, nos corroborare, & vires subministrare velit: profectò vult Dominus, vt verbum Euangelij recipiamus, ei credamus, atq; pareamus.

2. Cor. 4.
Roman. 1.

Qua de causa electi his notis, in sacris literis, ab alijs discernendi, describuntur. Oues meæ vocem meam AVDIVNT, & ego cognosco eas, & sequuntur me,

Iohan. 10.

& ego illis do vitam æternam. Et, qui secundum propositum ordinati sunt ad capiendam hæreditatem: audiunt Euangelion, credunt in CHRISTVM: inuocant DEVM, eiq; gratias agunt: sanctificantur in charitate, perseuerant in spe, patientia & consolatione sub cruce. Et quamuis hæc bona omnia in ipsis adhuc tenuia atque infirma sint: tamen esuriunt & sitiunt iustitiam.

Ephes. 1. *Roman. 8.* *Matth. 5.* *Roman. 8.*

Sic scilicet Spiritus Dei testimonium electis perhibet, quòd sint filij Dei: & cùm, quid petendum sit, nesciunt, sicut oportet, ipse Spiritus pro eis intercedit gemitibus inenarrabilibus.

1. Cor. 1. *Philip. 1.* *2. Pet. 3.*

Præterea scriptura testatur, Deum, qui nos vocauit, adeò fidelem esse, vt cùm bonum opus in nobis inceperit, illud conseruare, & continuare, atque ad finem vsq; perducere & perficere velit: si modò non ipsi nos ab eo auertamus, sed initium substantiæ vsq; ad finem, firmum retineamus: ad quam constantiam, suam nobis gratiam promisit.

Hebr. 3.

Hanc reuelatam Dei voluntatē inquiramus, meditemur, atq; vt eidē pareamus, sedulò elaboremus: quandoquidē Spiritus sanctus per verbum (quo nos vocat) gratiam, vires & facultatē largiri vult: arcanæ autem & occultæ prædestinationis diuinæ abyssum perscrutari ne conemur. In hanc sententiam Christus cuidam curiosè interroganti, an pauci saluarentur, respondit: Cōtendite, vt intretis per angustam portam. Et D. Lutherus inquit: Eodem ordine, quē Paulus in Epist. ad Romanos obseruauit, pcede. Prima tua cura sit, de Christo, eiusque Euangelio: vt & tua peccata, & ipsius gratiam atq; clementiā agnoscas. Deinde, luctare cum peccato, sicut docet Paulus à primo capite, vsq; ad octauum. Posteà vbi (in octauo capite) sub cruce, tentationibus, & afflictionibus exercitatus fueris, nonum, decimum, & vndecimū caput rectè te docebunt, quanta in prædestinatione diuina consolatio reposita sit.

In præfatione super Epistolam ad Romanos.

Quod

Quòd autem multi vocati sunt, pauci verò electi, eius rei causa non est vocatio diuina, quæ per verbum fit, quasi Dei hæc sit sententia: ego quidem vos, quibus verbum meum propono, externè, per id verbum omnes voco ad regni mei cœlestis participationem, at in corde meo non de omnibus seriò ad salutem vocandis, sed de paucis tantùm, cogito. Voluntas enim mea hæc est, vt maior eorum, quos per verbum voco, pars neq; illuminetur, neq; conuertatur, sed condemnetur atq; in æterna morte maneat: etsi per verbum meum, quo vocantur, aliter meam illis mentem declaro, &c. Hoc enim esset Deo contradictorias voluntates affingere: quasi is, qui æterna veritas est, secum ipse dissentiret: aut aliud loqueretur, aliud verò corde premeret. Hanc leuitatem, hanc improbitatem (cùm aliud verbis proponitur, aliud in corde fouetur) Deus ipse etiam in hominibus arguit & punit: vt Dauid aliquoties testatur. Et hac ratione fundamentum fidei nostræ maximè necessarium & consolationis veræ plenissimum prorsus euerteretur: ex quo nobis quotidie admonitiones hæ afferuntur & inculcantur, quòd ex solo Dei verbo (per quod nobiscum agit, nosq; vocat) dicere atq; statuere debeamus, quæ sit ipsius erga nos voluntas: & quòd omnia illa, quæ nobis in verbo Domini promittuntur, firma fide amplecti, neq; de ijs vlla ratione dubitare debeamus. Psal. 5. 12.

Et quidem eam ipsam ob causam (ne de reuelata Dei erga nos voluntate dubitemus) promissionem Euangelij Christus non tantùm generaliter proponi curat: sed etiam sacramenta promissioni annectere voluit, quibus tanquam sigillis ad promissionem appensis, vnicuiq; credenti promissionis Euangelicæ certitudinem confirmat.

Ea de causa retinemus etiam priuatam absolutionem (vt Augustana Confessio articulo vndecimo lo-

quitur:) docentes, Dei mandatum esse, vt absolutioni fidem habeamus, ac certò statuamus, tàm verè (quãdo verbis absolutionis fidem habemus) Deo reconciliatos nos esse, ac si vocem cœlitùs delapsam ea de re audiuissemus: quam sententiam etiam Apologia confirmat. Hæc verò consolatio eximia prorsus nobis eriperetur: si non ex vocatione, quæ fit per verbum & Sacramenta, de voluntate Dei erga nos statuendum esset.

Quin etiam illud fundamentum religionis nostræ euerteretur: quòd credimus, Spiritum sanctum cum verbo prædicato, audito & diligenter considerato, præsentem atq; efficacem esse & operari velle. Quare nequaquam sentiendum est, vt paulò antè monuimus, eos etiam in electorum numero habendos, qui verbum Dei contemnunt, repellunt, execrantur, atque persequuntur: qui audito verbo corda sua contra illud obfirmant: qui Spiritui sancto resistunt: qui in peccatis absq; pœnitentia perseuerant: neq; in Christum verè credunt: externa tantùm specie pietatẽ præ se ferunt: aut extra Christũ alias iustitiæ & salutis rationes quærunt. Vt enim Deus in æterno suo consilio ordinauit, vt Spiritus sanctus electos per verbum vocet, illuminet, atq; conuertat, atq; omnes illos, qui Christum vera fide amplectuntur, iustificet, atq; in eos æternam salutẽ conferat: ita in eodem suo consilio decreuit, quòd eos, qui per verbum vocati, illud repudiant, & Spiritui sancto (qui in ipsis per verbum efficaciter operari & efficax esse vult) resistunt, & obstinati in ea contumacia perseuerant, indurare, reprobare, & æternæ damnationi deuouere velit. Et secundùm has rationes intelligendum est, quòd scriptura dicit: Multos vocatos, paucos verò electos esse.

Pauci enim verbum Dei seriò recipiunt, eiq; sincerè obtemperant: maior pars contemnit verbum: neq; in

Matth. 22.
Actor. 15.
Hebr. 4.
Actor. 7.
Luc. 14.
Marc. 16.
Matth. 7. 22.
Roman. 9.
Matth. 22.

regijs illis nuptijs vult comparere. Huius contemtus verbi non est in causa, vel præscientia vel prædestinatio Dei, sed peruersa hominis voluntas, quæ medium illud & instrumentum Spiritus sancti, quod Deus homini per vocationem offert, reijcit, aut deprauat: & Spiritui sancto, qui per verbum efficaciter operari cupit, repugnat, sicut Christus dicit: Quoties volui congregare te, & NOLVISTI? *Matth. 23.*

Multi quidem verbum Dei initiò magno gaudio recipiunt: sed posteà rursus deficiunt. Eius autem rei causa non hæc est, quasi Deus illis, in quibus bonum illud opus iam incepit, gratiam suam ad perseuerandum dare nolit: Hoc enim cum Pauli verbis pugnat: Sed vera causa defectionis ipsorum est, quòd sese à sancto Dei præcepto rursus, & quidem petulanter auertunt: quòd Spiritum sanctum contristant, & exasperant: quòd coinquinationibus huius mundi rursus sese implicant, & Satanæ hospitiũ cordis sui adornant. Horum hominum posteriora deteriora fiunt prioribus. *Luc. 8. Philip. 1. 2. Pet. 2. Ephes. 5. Hebr. 10. 2. Pet. 2. Luc. 11.*

Hucusq; sacra scriptura in reuelando diuinæ prædestinationis mysterio progreditur. Quòd si intra has metas nos continuerimus, & verbo Dei reuelato innixi fuerimus, profectò doctrina illa amplissimam consolationis veræ materiam nobis suppeditabit. Egregiè enim prædestinationis doctrina articulum iustificationis confirmat: quòd, videlicet, gratuitò, sine omnibus operibus & meritis nostris, ex mera gratia propter solum Christum iustificemur atq; saluemur. Ante secula enim huius mundi, priusqnam in rerum natura essemus, imò antequam mundi fundamenta iacerentur: cùm quidem nihil boni agere adhuc poteramus: secundùm propositum Dei, in Christo, ad æternam salutem electi sumus: Hac etiam doctrina omnes falsæ opiniones, & errores de viribus naturalis nostri arbitrij, euertuntur: quia manifestum est, quòd Deus in suo consilio *Rom. 9. 2. Tim. 1.*

ante mundi secula decreuerit atq; ordinârit, quòd omnia, quæ ad conuersionem nostram pertinent, ipse virtute Spiritus sui sancti (per verbum) in nobis efficere & operari velit.

Quin etiam hæc doctrina præclaram nobis consolationem monstrat. Quantum enim est hoc beneficium Dei, quòd is de vniuscuiusq; Christiani conuersione, iustitia & salute, adeò solicitus fuit, atq; tam fideliter procurauit, vt ante iacta fundamenta mundi deliberauerit, atq; in illo arcano suo proposito iam tùm ordinauerit, quomodo me ad salutem vocare, adducere, & in illa conseruare velit? Quid? quòd meam salutem adeò firmis præsidijs munire voluit: vt eam in æternum suum propositum (quod falli aut euerti nunquam potest) tanquam in arcem munitissimam collocaret, atq; adeò in omnipotenti manu Domini nostri Iesu Christi (vnde nemo rapere nos potest) conseruandam poneret. Si enim nobis tutela & defensio nostræ salutis committeretur, Deus bone, quàm leui momento eam, propter infirmitatem, prauitatem & corruptionem carnis nostræ amitteremus? quàm facilè ea nobis per insidias & vim diaboli atq; mundi machinis è nostris manibus extorqueretur atq; eriperetur? Ideo Paulus certitudinem beatitudinis nostræ super fundamentum propositi diuini extruit, cùm ex eo, quòd secundùm PROPOSITVM Dei vocati sumus, colligit, neminem nos posse separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Iohan. 10.

Roman. 8.

In afflictionibus verò & grauib⁹ tentationibus dulcissimam ex hoc articulo consolationem petere licet. Docemur enim, Deum in consilio suo, ante secula mũdi decreuisse: quòd in omnibus calamitatibus, miserijs, & angustijs nobis adesse, tolerantiam sub cruce largiri, consolari nos, spem Christianam exsuscitare, alere, & nutantem erigere, talemq; tandem euentum

dare

dare velit: vt omnia mala ad ſalutem noſtram cedant, eamq; promoueant. Vnde & D. Paulus egregiam conſolationem ex hoc articulo depromit, cùm docet: Deum in ſuo propoſito ante tempora mundi ordinâſſe, quaſnam tribulationes, & quod crucis genus Dominus ſingulis Chriſtianis imponere velit, vt omnes conformes fiant imagini filij ſui, & oſtendit, quòd vnicuiq; pio ſua crux in bonum cedat ſeu cooperetur: propterea quòd pij omnes ſecundùm PROPOSITVM Dei ſint vocati. Ac tandem vniuerſa complectitur: quòd neq; tribulatio, neq; anguſtia, neq; vita, neq; mors, &c. poſſit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. *Rom. 8.*

Præterea hic articulus luculenter teſtatur, quòd Eccleſia DEI aduerſus omnes inferorum portas & impetus ſit manſura. Et docet, quæ ſit vera DEI Eccleſia: ne magna illa falſæ Eccleſiæ authoritate & auguſta illius ſpecie offendamur. *Rom. 9.*

Et ex hoc articulo multæ grauiſſimæ admonitiones & exhortationes depromuntur, vt, Luc. 7. Contemnũt Dei conſiliũ, aduerſus ſemetipſos. Et Luc. 14. Dico vobis, quòd nemo virorum illorum guſtaturus ſit cœnam meam. Et alibi: Multi vocati ſunt, pauci verò electi. Et rurſus: Qui aures habet audiendi, audiat. Et: Videte, quomodo audiatis. Atq; ita doctrina de hoc articulo ſalutaris eſt, plena conſolationis, & ad vſum noſtrum multis modis transferri poteſt.

Accuratè autem diſcrimen obſeruandum & retinendum eſt, inter id, quod de hoc negocio expreſsè in ſacris literis reuelatum eſt: & inter ea, quæ non ſunt reuelata. Præter illa enim, de quibus hactenus dictum eſt, & quæ in Chriſto manifeſtè reuelata ſunt, multa adhuc Dominus de hoc myſterio reticuit & occultauit: eaq; ſoli ſuæ ſapientiæ & ſcientiæ reſeruauit. Talia inueſtigare, cogitationibus noſtris indulgere, [illegible] quid

de ijs ſtatuere, aut ſcrutari nobis non licet, ſed toti à verbo Dei reuelato, quod ipſe nobis proponit, pendêre debemus. Hæc admonitio in hoc myſterio apprimè neceſſaria eſt.

Ea enim eſt corruptæ naturæ noſtræ curioſitas, vt magis ijs, quæ abſtruſa & arcana ſunt, indagandis, quàm ijs, quæ de hoc negocio Deus in verbo ſuo nobis reuelauit, cognoſcendis, delectemur: præſertim cùm quædam in hoc myſterio tam intricata & perplexa occurrant, quæ nos in mentibus noſtris acumine ingenij noſtri, conciliare non poſſumus: ſed neq; id nobis à Deo demandatum eſt.

Dubium quidem non eſt, quin Deus exactiſſimè & certiſſimè ante tempora mundi præuiderit, & hodie etiam nôrit, quinā ex eorum numero, qui vocati ſunt, in Chriſtum credituri, aut non credituri ſint: qui ex conuerſis, in fide perſeueraturi ſint, qui non; &, qui in peccata grauia prolapſi, reuerſuri ſint, & qui in ſceleribus perituri. Et haud dubiè etiam numerus eorum, qui ſaluabuntur, & damnandorum, Deo probè notus eſt. Quia verò Dominus talia arcana ſoli ſuæ ſapientiæ reſeruauit: neq; ea de re quicquam in verbo ſuo reuelauit: multò verò minùs hæc myſteria cogitationibus noſtris indagare nos iuſſit: quin potiùs, ne id conaremur, prohibuit; non decet nos cogitationibus noſtris indulgere, ſtatuere aliquid, ratiocinari, aut illa occultiſſima inueſtigare velle: ſed in verbo ipſius reuelato (ad quod ille nos ablegauit) acquieſcere nos oportet.

Rom. 11.

Nouit enim Dominus procul dubio tempus & horam, eamq; apud ſe conſtituit, quando, videlicet, vnúquenq; vocare, conuertere, & lapſum rurſus erigere velit. Quia verò id nobis non eſt reuelatum: intelligimus hoc nobis iniungi ſeriò, vt ſemper prædicando & tractando [illegible] verbo inſtemus, tempus verò, & horam conu[illegible]onis Deo permittamus.

Actor. 1.

Ad

Ad eundem modum cùm videmus, quòd Deus verbum suum alicui regno aut ditioni donat, idem verò alij genti non largitur; item, quòd id ipsum ab vno populo aufert, alij verò diutiùs concedit: quòd hic induratur, excæcatur, & in reprobum sensum datur, ille verò, qui in eadem culpa hæret, ad Deum conuertitur, &c. cauendum est diligenter, ne in his rebus expendendis, cogitationibus nostris nimiùm indulgeamus. Paulus autem certas metas nobis posuit, quousq; progredi liceat. Iubet enim nos in illis, qui pereunt, considerare iustum Dei IVDICIVM & pœnas peccatorum: Sunt enim hæc digna peccatis supplicia, si Deus totam aliquam prouinciam aut gentem (propter verbi diuini contemtum) ita punit, vt hoc ingens malum etiam in ipsorum posteritatem redundet: vt est videre in obstinatis & perditissimis hominibus, Iudæis. Et hoc modo Dominus quarundam prouinciarum & personarum pœnis seueritatem suam ostendit, vt demonstret, quibus nos omnes malis digni essemus, qui Deo pro reuelato verbo ingrati sumus, & indignè Euangelio viuimus, Spiritum sanctum sæpe grauiter contristamus. Et vult Dominus, vt illorum exemplis moniti, in timore Dei viuamus: &, vt ipsius bonitatem (quæ præter meritum nobis contingit) in nobis, quos verbo suo dignatur, neq; nos indurat, aut reijcit, agnoscamus, & grata mente celebremus.

Rom. 11.

Cùm enim natura nostra peccato corrupta, & idcirco, iræ diuinæ & æternæ damnationis rea sit: Deus nobis prorsus nihil debet: neq; vllo iure tenetur, vt nobis verbum suum & Spiritum sanctum largiatur, atq; gratia & fauore nos prosequatur. Quid? quòd sæpe etiam ea dona, quæ ipse nobis ex gratia largitur, repudiamus, nosq; æterna vita indignos reddimus. Iustum igitur suum iudicium, quod hominum impietas meretur, conspiciendũ in quibusdã regnis, populis, personis,

Actor. 13.

propo-

proponit, vt nos cum illis collati, & quam minimi illis deprehensi, tantò accuratiùs Dei immensam misericordiam (quæ nulli merito nostro debetur) in vasis misericordiæ agnoscere & celebrare discamus.

Illi enim nulla afficiuntur iniuria, qui pœnas suæ impietatis luunt, & scelerum suorum stipendia accipiunt. At in his, quos Deus luce verbi sui donat, eamq; apud ipsos conseruat, qua miseri mortales illuminantur, conuertuntur, saluantur, Dominus immensam suam gratiam & misericordiam, sine ipsorum meritis commendat.

Cùm eò vsq; in huius articuli meditatione progredimur, tùm in tuta & regia via ambulamus. Scriptum
Osc. 13. est enim de hoc mysterio: Perditio TVA ex te est, Israel: TANTVM MODO in me AVXILIVM TVVM.

Quæcunq; autem cogitationes & quicunq; sermones extra hos limites in hac disputatione euagari vo-
Rom. 9. lent, eos statim cohibeamus, & cum D. Paulo labellum digito compescamus, memores dicti: O homo, tu quis es, qui responses Deo?

Et sanè, quòd in hoc articulo non omnia perscrutari & perueſtigare possimus aut debeamus, docet D. Paulus suo ipsius exemplo. Cùm enim de hoc articulo multis è verbo Dei reuelato disputâsset: tandem cùm eò ventum esset, vt diceretur, quænam Deus arcanæ suæ sapientiæ de hoc mysterio reseruâsset: silentio ea tegit, disputationem abrumpit, & his verbis conclu-
Rom. 11. dit: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius: Quis enim cognouit sensum Domini? &c. scilicet, extra & supra id, quod ipse in verbo suo nobis reuelauit.

AEterna igitur Dei prædestinatio in Christo, & nequaquam extra mediatorem Christum consideranda
Ephes. 1. est. In Christo enim (inquit Paulus) elegit nos Deus, antequam mundi fundamenta iacerentur. Et scriptum

est:

est: quòd Dominus dilexerit nos in DILECTO. Hæc autem electio de cœlo nobis reuelatur, per verbi Dei prædicationem, cùm Pater cœlestis inquit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est: HVNC AVDITE. Et Christus dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. De Spiritu sancto verò Christus inquit: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis, &c. Itaque tota sacratissima Trinitas, PATER, FILIVS ET SPIRITVS SANCTVS, ablegat omnes homines ad Christum, tanquam ad librum vitæ: vt in eo æternam Patris prædestinationem inuestigent & cognoscant. Hoc enim iam ab æterno decretum est à Patre, quòd eos, quos saluare vult, per Christum saluos facere velit: vt Christus ipse inquit: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et alibi: Ego sum ostium: Si quis per me introierit, saluabitur.

Matth. 11.
Iohan. 16.
Iohan. 14.
Iohan. 10.

CHRISTVS autem, vnigenitus Dei filius, qui est in sinu Patris, nobis voluntatem Patris cœlestis, atq; hac ratione etiam electionem nostram ad vitam æternam annunciauit: idque his verbis: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio: appropinquauit enim regnum cœlorum. Et alio loco ait: Hæc est VOLVNTAS EIVS, QVI MISIT ME, vt qui Filium videt, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et alibi: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui in eum crediderit, non pereat, sed habeat vitam æternam, &c.

Iohan. 1.
Marc. 1.
Iohan. 6.
Iohan. 3.

Hanc dulcissimam concionem vult Deus Pater, vt omnes homines audiant: vult, vt ad Christum veniant. Qui verò venerint, eos Christus non à se repellit. Sic enim scriptum est: Quod venerit ad me, non eijciam foras.

Iohan. 6.

Vt autē ad Christum venire possimus, Spiritus sanctus per auditionem verbi Dei veram in nobis fidem

Rom. 10. operatur. Sic enim Apostolus ait: Fides est ex auditu verbi Dei: quando, videlicet, illud sincerè & purè annunciatur.

Qui igitur æternæ salutis vero desiderio tenentur, non macerent atq; excrucient sese cogitationibus & imaginationibus de arcano Dei consilio: an ad vitam æternam sint prædestinati, & ordinati: quibus curis Satanas pias mentes quandoque affligere atq; excruciare solet. Christum potiùs audiant; & in eum, vt in librum vitæ intueantur: in quo perscripta est omnium filiorum Dei electio ad vitam æternam. Hic verò omnibus hominibus, absq; vllo discrimine testis locupletissimus est: Hanc esse Dei voluntatem, vt omnes homines ad Christum veniant, qui peccatis grauati & onerati sunt: vt ab ipso recreentur & salui fiant.

Hac doctrina Christi percepta, vitam emendemus, & verè pœnitentiam agamus, & promissioni eius credamus, totamq; nostram in ipsum fiduciam collocemus. Quia verò hæc nostris viribus & ex nobis ipsis præstare non possumus, Spiritus sanctus ipse per verbum & sacramenta, in nobis pœnitentiam & fidem vult operari. Vt autem in bono isto proposito vsq; ad beatum finem progredi, perseuerare, atq; in vera pietate constantes manere valeamus: inuocandus est Deus ardentibus votis, vt gratiam nobis suam benignè largiatur, quam nobis in sacro Baptismate pollicitus est: nec dubitemus, quin eam sit, iuxta promissionem suam,
Luc. 11. nobis donaturus. Hoc enim Christus nobis ipse sanctè promisit, dicens: Quis autem ex vobis patrem petit panem: nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum: nunquid porriget illi scorpionem? si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona dona dare filijs vestris, quantò magis pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se?

2. Cor. 3. Et quia Spiritus sanctus in electis, qui iam in Christum

ſtum credunt, habitat, vt in templo ſuo: & in ipſis non eſt ocioſus, ſed impellit filios Dei, ad obedientiā mandatis Dei præſtandam: ipſos etiam credentes non ocioſos eſſe, multò verò minùs agenti & operanti Spiritui ſancto reſiſtere decet. Exerceant igitur ſeſe in omnibus virtutibus, homine Chriſtiano dignis: in omni, videlicet, pietate, modeſtia, temperantia, patientia, & charitate fraterna: magnamq; diligentiam adhibeant, vt vocationem & electionem ſuam firmam faciant: vt tantò minùs de ea dubitent, quantò efficaciùs Spiritus ſancti virtutem & robur in ſe ſentiunt. Spiritus Dei enim teſtimonium perhibet electis, quòd ſint filij Dei. Quòd ſi etiam aliquando in tam graues tentationes inciderint, vt prorſus nullam ampliùs inhabitantis Spiritus Dei virtutem in ſe animaduertere & ſentire poſſint, vt cum Dauide queribunda voce dicant: ego dixi in exceſſu mentis meæ, proiectus ſum à facie oculorum tuorum: tamen rurſum ſe erigant, & illud, cum Dauide, adijciant: (vtcunq; aliud in ſe ſentiant:) Ideò exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

Roman. 8.

Pſal. 31.

Cùm etiam electio noſtra ad vitam æternam non virtutibus aut iuſtitia noſtra, ſed ſolo Chriſti merito, & benigna cœleſtis patris voluntate nitatur: qui ſeipſum negare non poteſt: (cùm in voluntate & eſſentia ſua ſit immutabilis:) eam ob cauſam, quando filij ipſius obedientiam nō præſtant, ſed in peccata labuntur, per verbum eos ad pœnitentiam reuocat: & Spiritus ſanctus per verbum vult in ijs efficax eſſe, vt in viam redeant, & vitam emendent. Quando igitur vera pœnitentia & fide rurſus ad ipſum ſeſe conuertunt: pater cœleſtis animum ſuum paternum conſtanter omnibus ſuis oſtendere vult, qui ad verbū eius tremunt, & ſeriò reſipiſcunt. Sic enim ſcriptum eſt: Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo, viro alteri nupſerit, nunquid reuertetur ad eum vltrà? nunquid non ipſa

Iſa. 66.
Ierem. 3

terra sic contaminaretur? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: TAMEN REVERTERE AD ME, dicit Dominus.

Iohan. 6. Quòd verò in sacris literis asseritur: neminem ad Christum venire posse, nisi Pater eum trahat: id piè & rectè dicitur. Pater autem neminem trahere vult, absque medijs, sed vtitur tanquam ordinarijs medijs & instrumentis, verbo suo & sacramentis. Et neque Patris neque Filij voluntas est, vt quisquam prædicationem verbi negligat aut contemnat, & interim expectet, donec à Patre, absque verbo & Sacramento trahatur. Pater enim trahit quidem hominem, virtute Spiritus sui sancti: trahit tamen eum iuxta ordinem à se decretum & institutum, videlicet, per auditionem verbi sui diuini, tanquam reti aut sagena, qua electi è faucibus Satanæ eripiuntur. Ad conciones itaque sacras miseri peccatores conueniant, verbum Dei accurata diligentia audiant: neque dubitent, quin Pater eos ad filium suum Christum sit pertracturus. Spiritus enim sanctus virtute sua ministerio adesse, & per illud ad hominum salutem vult operari. Et hic est tractus ille Patris, de quo sacræ literæ loquuntur.

Quòd autem non omnes, qui verbum Dei audiunt, credunt: ideoque ad grauiora supplicia in æternum damnantur: non existimandum est, Deum illis salutem inuidere. Ipsi suæ perditionis causa sunt, & culpam sustinent: propterea, quòd verbum non ea intentione, aut eo proposito audierint, vt illud seriò & cum desiderio discerent: sed vt auditum verbum spernerent, blasphemarent, conuitijs proscinderent, & Spiritui sancto, qui per verbum in ipsis operari volebat, resisterent. Tales olim erant Christi temporib⁹ Pharisæi, eorumq; asseclæ. Vnde accuratè Apostolus distinguit inter opus Dei, qui solus facit vasa honoris: & inter opus Diaboli & hominis: qui ex instinctu & im-

pulsu

pulu Diaboli (nequaquam autem impellente Deo) seipsum vas contumeliæ fecit. Sic enim scriptum est: Deus sustinuit in multa patientia, vasa iræ, aptata in interitum: vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Rom. 9.

His verbis Paulus disertè dicit: Deum vasa iræ multa patientia sustinuisse: non autem dicit: Deum FECISSE vasa iræ. Si enim hæc ipsius fuisset voluntas, non multa certè opus erat diuina patientia. Quòd autem aptata sunt ad interitum, in culpa sunt Diabolus & homines: nullo autem modo Deus.

Omnis enim præparatio seu aptatio ad interitum à Diabolo est, & ab homine per peccatũ: nequaq̃ autem à Deo. Deus enim non vult, vt homo vllus damnetur: quomodo igitur hominem ad damnationem ipse præpararet seu aptaret? Vt enim Deus non est causa peccati: ita etiam non est pœnæ, hoc est, damnationis: sed vnica causa damnationis, est peccatum. Stipendium enim peccati mors est. Et, vt Deus non vult peccatum, nec peccato delectatur: ita etiam non vult mortem peccatoris: neque ipsius damnatione delectatur. Non enim vult Deus quenquam perire, sed potiùs vt omnes pœnitentiam agant. Sic enim scriptum est in Ezechiele: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris: sed vt conuertatur & viuat. Et Paulus disertis verbis testatur, quòd ex vasis ignominiæ, vasa in honorem (per virtutem & operationem Dei) fieri possint. Sic enim scribit: Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Qui autem se emundare debet, eum necesse est priùs fuisse immundum, impurum, & per consequens vas ignominiæ. De vasis autem misericordiæ Apostolus clarè dicit, quòd Dominus ipse præparauerit ea ad gloriam: id quod nequaquam affirmat de damnatis, qui ipsi (non autem Deus) sese vasa damnationis fecerunt.

Romanos. Ezech. 33. 2. Pet. 3. Eze. 18. 23. 2. Tim. 2.

Sed & hoc magna cura considerandum est: quando Dominus peccata peccatis punit: hoc est, cùm eos, qui aliquando conuersi fuerant, propter subsequentem securitatem carnalem, impœnitentiam, contumaciam in sceleribus, & propter voluntaria flagitia punit excæcatione, & induratione: id non ita accipiendum esse, quasi Deus nunquam seriò voluisset, vt tales ad agnitionem veritatis peruenirent, & salutem cõsequerentur. Vt enim hæc voluntas Dei reuelata est,

I. Quòd Deus omnes resipiscentes & in Christum credentes, in gratiam recipere velit: ita & hæc est Dei reuelata voluntas:

II. Quòd eos, qui sponte sese à sancto Dei mandato auertunt, in coinquinationes mundi se denuò implicant, & Satanæ cor adornant, spiritumq; gratiæ contumelia afficiunt, seuerissimè punire velit: & quòd tales, si in impietate perseuerauerint, indurandi, excæcandi, & in æternum damnandi sint.

I. Pet. 3. Luc. 11. Hebr. 11.

Itaq; Pharao (de quo scriptum est: In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam: & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra) non ideò perijt, quòd Deus illi salutem inuideret: aut quasi Deus ipsius damnatione & interitu delectaretur. Deus enim non vult quenquam perire, neque morte peccatoris delectatur: sed vult, vt conuertatur & viuat, Ezech. 33.

Exod. 9. Rom. cap. 9.

Quòd autem Dominus cor Pharaonis indurat, vt Pharao subinde peccando pergat, & quò grauiùs admonetur, eò magis ipse induretur: id pœna est antecedentium ipsius peccatorum, & immanissimæ & multiplicis tyrannidis, quam in filios Israël (contra conscientiæ suæ stimulos) exercuerat. Et cùm Dominus ipsi verbum ac voluntatem suam annunciari curaret: Pharao verò nihilominus ex proposito & destinata malitia simpliciter, aduersus omnes exhortationes & admonitiones contumaciter insurgeret: Dominus ma-

num ab eo suam retraxit, eum deseruit: atque ita cor ipsius induratum est, & Dominus iustum iudicium suum aduersus eum executus est. Omnino enim Pharao æterno gehennæ incendio dignus erat. Et sanè D. Paulus exemplum Pharaonis non alio fine adfert, quàm vt eo ipso Dei iustitiam declararet, quam in impœnitentibus hominibus, & verbi diuini contemtoribus puniendis, demonstrat. Nequaquam autem Pauli mens est, quòd Dominus Pharaoni aut vlli alij homini salutem inuideat: aut quòd in arcano suo consilio quenquam ad damnationem prædestinauerit, vt ille nullo modo salutem consequi possit.

Hac pia doctrina & declaratione articuli de æterna & saluifica electorum filiorum Dei prædestinatione, Deo gloria sua omnis solidè tribuitur: quòd, videlicet, mera & gratuita misericordia in Christo (absque omnibus nostris meritis aut bonis operibus) saluos nos faciat, secundùm voluntatis suæ propositum. Sic enim scriptum est: Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, in ipsum: in laudem gloriæ gratiæ suæ: in qua acceptos nos fecit, in dilecto. Falsum igitur est, & cum verbo Dei pugnat, cùm docetur, quòd non sola Dei misericordia, & vnicum sanctissimum Christi meritum, verùm etiam ALIQVID IN NOBIS, causa sit electionis diuinæ: propter quod nos Deus ad vitam æternam prædestinauerit. Non enim tantùm, antequam aliquid boni faceremus, verùm etiam, priusquam nasceremur, imò ante iacta fundamenta mundi elegit nos Deus in Christo. Vt secundùm electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei: Maior seruiet minori: sicut scriptum est: Iacob dilexi: Esau autem odio habui, Rom. 9. Genes. 25. Malach. 1.

Sed & hæc pia doctrina nulli vel ad animi angustias, vel ad vitam dissolutam & impiam, vllam occasionem

præbet: quando, videlicet, homines docentur, quòd æternam electionem, in Christo, qui liber vitæ est, & sancto eius Euangelio quærere debeant. Euangelion enim nullum resipiscentem peccatorem à salute excludit; sed ad pœnitentiam, ad agnitionem peccatorum suorum, & ad fidem in Christum omnes peccato grauatos & sensu iræ Dei perturbatos peccatores vocat & inuitat; & Spiritum sanctum ad emundationem & sanctificationem promittit. Etenim hic articulus rectè & dextrè explicatus, veram & omnium firmissimam consolationem perturbatis mentibus præbet: quia inde certi fiunt, quòd salus æterna non in manu ipsorum sit posita: (quam aliâs multò faciliùs, quàm Adam & Eua in paradiso, imò singulis horis & momentis amitterent:) sed nôrunt, eam in clementi diuina prædestinatione fundatam esse: quam nobis reuelauit in Christo, ex cuius manu nemo nos rapiet, Iohan.10. 2.Tim.2.

Quare si quis doctrinam de æterna Dei prædestinatione eo modo proponat, vt vel perturbatæ mentes ex ea consolationem nullam haurire possint, sed potiùs ad desperationem illis ansa præbeatur: vel impœnitentes in sua securitate, improbitate & malitia confirmentur: tum nihil certius est, quàm quòd articulus de electione non ad normam & iuxta voluntatem Dei, sed secundùm humanæ rationis cœcum iudicium, & ex impulsu atque instinctu Diaboli malè & peruersè doceatur.

Rom. 15. Quicquid enim scriptum est (vt Apostolus testatur) in doctrinā nostram scriptum est, vt per patientiam & consolationem scripturæ spem habeamus. Quòd si nobis per scripturam consolatio illa vel eneruatur, vel eripitur: certo certius est, scripturam contra sententiam & mentem Spiritus sancti explicari & intelligi.

In hac

In hac simplici, perspicua & salutari declaratione, quæ in voluntate Dei reuelata solidissimum habet fundamentum, acquiescimus. Et omnes argutas, curiosas, & ad ædificationem inutiles quæstiones atq; disputationes fugimus atq; auersamur. Et si quæ huic simplici, sinceræ atq; salutari explicationi repugnant, ea reijcimus atq, damnamus.

Et hæc de controuersis articulis (de quibus inter Theologos Augustanæ Confessionis multos iam annos disputatum est: cùm quidam in illis errâssent, vnde difficiles controuersiæ, & certamina religionis eruperunt) dixisse sufficiat.

SPERAMVS autem, omnes, tam aduersarios, quàm amicos nostros, ex hac declaratione deprehensuros, nostrum propositum haudquaquam fuisse propter tẽporariam pacem, tranquillitatem, aut concordiam aliquid (cum iactura aut detrimento æterno, immotæ, atq; immutabilis veritatis cœlestis) cuiquam largiri: id quod etiam non in nostra est potestate. Neq; verò talis pax & concordia, quæ veritati aduersaretur, & eiusdem oppressionem moliretur, diu durare posset. Sed & ne in animum quidem nostrum vnquam induximus, purioris doctrinæ corruptelas, vel etiam manifestos damnatosq; errores fuco quodam commendare, dissimulare aut occultare. Hanc verò concordiam ex animo diligimus, & toto pectore amplectimur, eamq; pro viribus (quantum quidem in nobis erit) promouere summo studio cupimus, qua Deo honor suus illibatus seruetur, veritati Euangelicæ nihil decedat: nulli etiam falso dogmati locus concedatur: peccatores ad seriam pœnitentiam inuitentur: perturbatæ mentes fide erigantur: in obedientia noua confirmentur: atq; adeò per vnicum Christi meritum, iustitiam veram, & salutem æternam consequantur.

XII.
DE ALIIS HÆRETICIS ET SECTARIIS, QVI AVGVstanam Confessionem nunquam sunt amplexi.

IRREPSERVNT etiam hinc inde alij quidam Hæretici & Sectarij, qui Augustanam Confessionem non amplectuntur aut profitentur: quorum in hac declaratione nominatim nullam mentionem fecimus, Vt sunt, Anabaptistæ, Svvenckfeldiani, noui Ariani, & Antitrinitarij. Horum errores vnanimi consensu ab omnibus Ecclesijs Augustanam Confessionem profitentibus, damnati sunt. Noluimus autem de illis erroribus in hoc scripto, nisi incidenter, agere, propterea quòd hoc tempore scopũ illum præfixum habuerimus, vt potissimùm aduersariorum Pontificiorum calumnias refutaremus.

Illi enim sine fronte in toto Christiano orbe Ecclesias nostras, earumq; sinceros doctores hactenus traduxerunt, atq; iactârunt: non reperiri duos saltem Euangelicos concionatores, qui de omnibus & singulis articulis Augustanæ Confessionis, consentiant: sed tantas inter eos omnes esse dissensiones, vt ne quidem ampliùs nôrint, quæ sit vera Augustana Confessio, & ipsius genuina & germana sententia. Non igitur nudis & paucis verbis, aut nominum nostrorum subscriptionibus tantummodò de nostro consensu testari voluimus: sed de omnibus articulis, de quibus ab Augustanæ Confessionis Theologis disceptatum fuit, perspicuam, disertam, sinceram declarationem conscribere voluimus. Idq; eo consilio fecimus, vt omnes intelli-

gant,

gant, nos illas controuersias & falsas opiniones, neq; maliciosè dissimulare neq; occultare voluisse. Et deprehendent boni & intelligentes viri, non hoc nos egisse, vt fucatam & simulatam concordiam faceremus, nec vt malis istis medicinam aliquam superficiariam, sed vt remedia solida & vera adhiberemus. Itaq; sententiam nostram liquidissimè proposuimus, vt aduersarios etiam nostros fateri oporteat, quòd in tota hac controuersiarum tractatione & explicatione, veram, simplicem, sinceram, genuinam atque proprijssimam Augustanæ Confessionis sententiam retinere voluerimus. Et sanè in ea pia sententia per gratiam Dei, constanter ad vltimum vsq; spiritum perseuerare cupimus. Et quantum quidem proficisci à cura nostra, rationibusq; ministerij nostri potest, non conniuebimus, aut silentio nostro committemus, vt aliquid, quod cum genuina & pia Augustanæ Confessionis sententia pugnet, in Ecclesias aut Scholas nostras inuehatur: in quibus nos Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, doctores & pastores esse voluit.

Ne quis autem tacitis nos cogitationibus accuset, quasi errores damnatos, earum hæresium & sectarum (quarum suprà paucis mentionem fecimus) vlla ex parte approbemus: facere non potuimus, quin publicè coram tota Ecclesia in hoc scripto protestaremur, nos illis erroribus omnibus, qualescunq; & quotcunque tandem illi sint) nulla ex parte subscribere, aut eos approbare: sed potiùs penitus reijcere atque damnare, propterea quòd eos impios & fanaticos esse, & cum Prophetica & Apostolica doctrina, atque cum pia nostra Augustana Confessione in verbo DEI probè fundata, pugnare iudicemus. Atque illi sanè errores maximè in ijs locis, & tum temporis potissimùm irrepserunt (vt est ingenium fanaticorum spirituum) vbi sincero Christi Euangelio locus non erat: &

vnde

vnde omnes sinceri doctores & Confessores Euangelij fuêre repulsi aut eiecti. Vbi enim crassissimæ & plusquam Cimmeriæ, vt dici solet, Papatus tenebræ regnabant, ibi miseri homines, qui Pontificiam manifestissimam Idololatriam & falsam doctrinam tantùm non manibus palpant, ex mera simplicitate amplexi sunt, quicquid à Papatu discrepabat, & sub Euangelij nomine ipsis obtrudebatur. Quorum malorum Pontificia tyrannis, quæ sinceram doctrinam persequitur, vel præcipua causa est.

ERRORES ANABAPTISTARVM.

Reijcimus & damnamus falsa Anabaptistarum dogmata, quæ neq; in Ecclesia Dei, neq; in Politia, neq; in Oeconomia tolerari possunt.

I. Quòd iustitia nostra coram Deo, non tantùm in sola obedientia & vnico merito Christi, verùm etiam in nostra renouatione & propria iustitia (in qua coram Deo ambulemus) consistat. Et eam probitatem seu iustitiam Anabaptistæ vt plurimùm in peculiaribus obseruationibus & sua quadam electitia sanctimonia, quasi in quodam nouo Monachatu, collocant.

II. Quòd infantes non baptizati coram Deo non sint peccatores, sed iusti, & prorsus innocentes, & quòd in sua illa innocentia sine Baptismo (quo non indigeant) saluentur. Et hac ratione negant atq; reijciunt Anabaptistæ totam de originali peccato doctrinam, & quicquid ad eam pertinet.

III. Quòd docent, infantes non esse baptizandos, donec vsum rationis habeant, & fidem suam ipsi confiteri possint.

IIII. Infantes Christianorum ob eam causam (etiam sine Baptismo, & ante susceptum Baptisma) sanctos, & filios Dei esse: quòd parentibus Christianis prognati sint.

Vnde

Vnde & Baptiſmum infantum non magnifaciunt, neq; admodum vrgent. Id quod pugnat cum expreſſis verbis promiſſionis: quæ ad eos tantùm pertinet, qui fœdus Dei obſeruant, neq; illud contemnunt.

V. Non eſſe eam veram & Chriſtianam Eccleſiam, in qua peccatores reperiantur.

VI. Non eſſe conciones ſacras audiendas in ijs templis, in quibus aliquando Miſſæ Pontificiæ ſunt celebratæ.

VII. Non habendum quicquam commercij cum Eccleſiæ miniſtris, qui & ſanctum Chriſti Euangelion, iuxta ſyram Auguſtanæ Confeſſionis ſententiam docent, & Anabaptiſtarum errores refutant: neq; illis operam locandam: quin potiùs, vt verbi Dei corruptores fugiendos atq; vitandos eſſe.

VIII. Magiſtratus officium non eſſe (in nouo Teſtamento) genus vitæ, homine & pio Chriſtiano dignum.

IX. Hominem pium ſalua conſcientia officio magiſtratus fungi non poſſe.

X. Hominem Chriſtianum illæſa conſcientia officium magiſtratus, re ita poſtulante, aduerſus facinoroſos facere & exequi non poſſe, nec quenquam ſubditorum implorare opem magiſtratus debere.

XI. Chriſtianos ſana conſcientia in foro ciuili iuramentum præſtare, aut principi ac magiſtratui ſuo fidem ſub religione iuriſiurandi aſtringere non poſſe.

XII. Quòd Magiſtratus ſontes & morte dignos ſupplicio capitis afficere, ſine vulnere & labe cõſciẽtiæ nequeat.

XIII. Hominem Chriſtianum ſalua ſua conſcientia proprium tenere ac poſſidere non poſſe: ſed oportere, quicquid id eſt, in communem fiſcum conferre.

XIV. Hominem pium ſana conſcientia non poſſe cauponariam aut mercaturam exercere, aut arma conficere.

XV. Coniugibus propter religionis diuerſitatem, diuortium facere, & matrimonium, cum alia perſona, qua cum in religione conueniat, contrahere, licitum eſſe.

Chriſtum

XVI. Christum carnem & sanguinem suum non è Maria virgine assumsisse: sed de cœlo attulisse.

XVII. Christum non esse verum & essentialem Deum: sed duntaxat alios homines multitudine & excellentia donorum & gloriæ superare.

Hos atq; similes falsos articulos Anabaptistæ profitentur. Et quidem in multas sectas sunt diuisi: & alij plures, alij pauciores religionis errores amplectuntur. Tota verò ipsorum secta nil nisi nouus quidam est Monachismus.

ERRORES SCHVVENCKFELDIANORVM.

REijcimus atq; damnamus etiam Schvvenckfeldianorum errores, quibus docent:

I. Quòd omnes illi non habeant cœlestis regis Christi iam regnantis veram agnitionem, qui sentiunt, Christum secundùm carnem seu Christi humanam naturam, esse creaturam. Quòd caro Christi per exaltationem omnes diuinas proprietates ita acceperit, vt iam Christus humanitatis suæ ratione, potentia, virtute, Maiestate, gloria, Patri & æterno Verbo, prorsus gradu, loco, & essentia sit æqualis: ita, vt sit eadem omnino vtriusq; naturæ in Christo ESSENTIA, eædem proprietates, vna eademq; voluntas, vna gloria. Quòd denique caro Christi ad ESSENTIAM sacrosanctæ TRINITATIS pertineat.

II. Quòd ministerium Ecclesiasticum, hoc est, verbum Dei prædicatum & auditum, nõ sit medium seu instrumentum, quo Deus Spiritus sanctus homines doceat, & per quod ipsis donet veram Christi agnitionem, pœnitentiam & fidem, & quo in ipsis nouam obedientiam operetur.

III. Quòd aqua baptismi non sit medium aut instrumentum, quo Dominus adoptionem filiorum Dei obsignet, & homines regeneret.

Quòd

Quòd panis & vinum in sacra Cœna non sint media seu instrumenta, cum quibus Christus corpus & sanguinem suum distribuat. IV.

Quòd homo Christianus verè per Spiritum Dei renatus legem Dei in hac vita perfectè implere possit. V.

Quòd non sit ea vera & Christiana Ecclesia, in qua non externa excommunicatio vigeat, aut in qua non externus ordinarius excommunicationis modus, delectus, & processus obseruetur. VI.

Quòd is Ecclesiæ minister non possit alios salubriter docere, aut sacramenta ritè administrare, qui non ipse sit verè renouatus, iustus & pius. VII.

ERRORES NOVORVM ARIANORVM.

REijcimus & damnamus etiam nouorum Arianorum impium & blasphemum dogma: quòd affirmant, Christum non esse verum, essentialem, naturalem Deum, eiusdem æternæ atq; diuinæ essentiæ cum Deo Patre: sed fingunt, eundem tantummodò diuina Maiestate, cum Patre, ornatum: ita vt reuera sit inferior Deo Patre.

ERRORES NOVORVM ANTITRINITARIORVM.

QVòD Antitrinitarij aliqui vetera, & in Ecclesia Christi approbata Symbola, Nicenum & Athanasianum, tum quoad verba, tum quoad sententiam, repudiant atq; condemnant. Quòd ijdem hæretici asserunt, non esse vnicam tantùm æternam diuinam essentiam, Patris, Filij, & Spiritus sancti: sed, vt tres sunt distinctæ Trinitatis personæ, (videlicet, Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus) ita etiam vnamquamq; personam habere distinctam, & ab alijs personis separatam essentiam. Et alij fingunt, tres illas separatas essentias I.

(vt aliâs

(vt aliàs tres distinctos & in essentijs suis separatos homines) eiusdem esse potentiæ, sapientiæ, maiestatis, & gloriæ: alij verò sentiunt, tres illas personas, ratione essentiæ & proprietatum, non esse æquales:

II. Quòd solus Pater sit verus Deus.

HOS OMNES ARTICVLOS simul, & si quid cum illis cohæret, aut ex ijs consequitur, reijcimus atq; damnamus, vt falsos, impios, hæreticos, verbo Dei, tribus approbatis Symbolis, Augustanæ Confessioni, eiusdemq; Apologiæ, Smalcaldicis articulis, & Catechismis Lutheri repugnantes. Et hortamur omnes pias mentes, vt hos errores fugiant, & detestentur, si modò ipsis animæ salus est cordi.

IN CONSPECTV IGITVR Dei omnipotentis, & coram tota Ecclesia Christi, quæ nunc est, & quæ aliquando in posteritate erit, clara voce & disertè testamur: quòd declaratio illa nostra, de omnibus commemoratis controuersis articulis, & nulla prorsus alia, reuerà sit nostra doctrina, fides, & confessio. In ea per gratiam Dei, intrepido animo coram tribunali IESV CHRISTI comparebimus: de ea iusto iudici rationem reddituri. Contra hanc declarationem etiam nihil vel occultè vel apertè loquemur aut scribemus: sed in ea, Domino nos bene iuuante, vsq; ad vitæ finem constantes perseuerabimus. In eius rei fidem matura cum deliberatione, in timore Dei, & nominis ipsius inuocatione, proprijs manibus huic declarationi subscripsimus.

CATA-